Digitized by Google

PROV. DI...
162
B
17.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
17
NAPOLI

SYNODVS DIOECESANA CASTELLANETENSIS

Quam

BERNARDVS BENEDICTVS
Nicoſienſis, Epiſcopus Caſtellanetenſis
Habuit, Anno ſalutis MDXCV.

SVPERIORVM PERMISSV.



S. NICOLAUS EP. MIRENSIS ECCLESIÆ CASTELLANET. PATRONUS

ROMAE,
Apud Aloyſium Zannettum. M D XCVI.

BERNARDVS
BENEDICTVS
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPVS CASTELLANETENSIS,

Clero, & Populo ſuo ſalutem in Domino.

ETSI illud in grauiſsimis Epiſcoporum, maximiſq; muneribus, merito, vel ex ipſius œcumenicæ Tridentinæ Synodi ſententia, præcipuum videri debet: ſuos, vt in primis mores ita componant, vt reliqui ab eis Chriſtianæ pietatis exempla capere poßint: illud tamen ad eos maximè pertinere, non modò eiuſdem Concilij Patres, ſed & Apoſtolus cenſet, & ipſe Dominus præcipit: vt gregem quiſque ſuum, non exemplo [illegible] citare, atque dirigere: ſed etiam ve[illegible] paſcere, confirmareq; contendant. [illegible] eſt ei, quem familiæ ſuæ dominus [illegible] exemplo duntaxat cæteris, ac virtute [illegible] ſuorum quoq; commodis paterna pro[illegible] que proſpiciat neceſſe eſt: vt prudenter [illegible] agenda, præcipiat: quæ ſunt vitanda pro[illegible] præmia rectè factis proponat: ſupplicia in in[illegible] ſceleſtoſq; conſtituat:

vt denique inſtet opportunè, importunè: arguat, obſecret, increpet cum omni patientia, atque doctrina. Nos igitur cum infirmitatis noſtræ conſcij onus vel angelicis humeris formidandum nobis impoſitum eſſe non ignoremus: curandum certè pro viribus intelligimus, vt quæ nobis ad gregem Domini, noſtræ fidei traditum regendum præſidia deſunt, ea tum ab eodem benigniſſimo Deo, ac Domino Ieſu precibus aſsiduis impetremus, tum aliunde nobis, vnde ex Dei Eccleſiæque Orthodoxæ præſcripto par ſit, quàm ſtudioſiſsimè conquiramus. Quod ſi cuiuis è populo illud à mortalium ſapientiſſimo Salomone præcipitur, ſine conſilio nihil agas, quid tandem animarum paſtoribus faciendum putamus? quibus ea ſunt agenda, quæ ſi temerè, ac ſine conſilio gerantur, ſempiterna populorum ſalus in diſcrimen vocetur. Me autem eo magis aliorum ope, atque conſilio egere confiteor, quod nullas omnino reperiam meorum in Epiſcopatu prædeceſſorum acta, ſeu conſtitutiones: quibus videlicet veluti maiorum veſtigijs inſiſtens, tam difficile,
tamque periculoſum [illegible] Quocirca Dei
omnipotentis in prim[illegible] Diœceſanam
Synodum cogendam c[illegible] Spiritus ſan-
cti ope ſuppliciter in[illegible]rentur, quæ
ad Eccleſiaſticam po[illegible] conſeruan-
dam, & augenda[illegible]ium mores, ex
Chriſti Domini A[illegible]ctrina, & ex ca-
nonum ſacrorum, [illegible] ſacroſancti Trident.
Concilij ſanctionib[illegible]dos pertinere viderentur.

tur. Huius igitur noſtræ Synodi capita ſolemni ritu vobis præſentibus antea promulgata, & in alma vrbe, quòd præcipuè optabamus, recognita, & demum ſuperiorum iuſſu in hanc formam redacta, cenſui vobis omnibus, qui ad noſtri muneris curam aliqua ratione ſpectatis, hac noſtra epiſtola commendanda. Itaque vos dilectiſſimi hortor, oro, atque obteſtor, vt quæ in hac Synodo ſancita ſunt, non tam litterarum monimentis ad futuri memoriam temporis conſignata, quàm ad omnium veſtrum, & poſterorum vtilitatem edita exiſtimetis. Quem enim fructum è ſalutaribus pharmacis ægroti percipiant, ſi ea ſemper in officinis tantum, atque arculis condita eſſe patiantur? Quando tandem famem depellat is, qui cibum ori nolit admouere? Quæ porrò ex legibus ad ciues pertinet vtilitas, ſi illæ in tabulis tantum inciſæ ſeruentur? Equidem quod ad me attinet dabo diligenter operam, vt quæ in hac Synodo, ex Catholica patrum doctrina ſalubriter conſtituta ſunt, ea vobis ſiquidem libenti, atque a[illegible]ri animo (vt ſpero, & opto) complectami[illegible]. Curabo, vt identidem omnibus in memoriam, cum [illegible]s fuerit reuocentur. Efficiam quantum in me erit, vt nemo vel inſcitiæ, vel imbecillitatis cauſam poſſit iure prætexere. Vos quoque viciſſim veſtra alacritate meum (quæſo) ſtudium adiuuate, meos labores veſtra obedientia ſubleuate, meam ſolicitudinem, veſtra caritate minuite. Ita enim fiet, vt & nos cum gaudio agamus quod agimus, non gementes, & vos Eccleſiaſticis

legibus

legibus obtemperantes, tùm Dei pace, quæ ſuperat omnem ſenſum dum viuitis perfruamini, tùm mortui, non modò non lædamini à morte ſecunda: ſed etiam beatæ vitæ præmia capiatis, quæ ſupremo iuditij die, Chriſtus perſoluet iis, qui obtemperauerint ſibi, quibus nimirum ipſe fuerit cauſſa ſalutis æternæ. Valete in Domino.

INDEX

INDEX TITVLORVM QVI IN HAC DIOECESANA SYNODO CASTELLANETENSI CONTINENTVR.

DE fidei Catholicæ profeſſione, eiuſquè tuendæ ſtudio pagina 1

De ludi Magiſtris. 9

De Doctrina Chriſtiana. 12

De librorum vſu, & Bibliopolis. 14

De verbi prædicatione. 15

De Canonico Theologo, eiuſquè Præbendæ Theologali. 20

De ſacris imaginibus. 22

De ſacrarum Reliquiarum Veneratione. 25

De Actionibus, & repræſentationibus ſacris. 30

De Blaſphemia. 31

De Magicis Artibus, Veneficijs, diuinationibus prohibitis, & ſuperſtitionibus. 33

De feſtorum dierum cultu. 36

De ijs, quæ ad ſacramentalia, vel ſacramenta communiter pertinent. 43

Quæ pertinent ad Baptiſmi ſacramentum. 52

Quæ ad Confirmationis ſacramentum pertinent. 62

Quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramentum pertinent. 67

De Sacroſanctæ Euchariſtiæ cuſtodia, & de eiuſdem delatione ad infirmos. 76

De Proceſſione ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti. 84

De ijs quæ pertinent ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium. 87

De loco celebrandi. 94

De ijs, quæ ad ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem pertinent. 100

De

22 De Canonico pœnitentiario. 120
23 De ieiunii obſeruatione. 122
24 De iis, quæ pertinent ad extremæ Vnctionis adminiſtrationem. 126
25 De iis, quæ ad ſacramenti ordinis adminiſtrationem pertinent. 133
26 De iis, quæ ad ſacramenti Matrimonii adminiſtrationem pertinent. 142
27 De vita, & honeſtate Clericorum. 153
28 Quæ pertinent ad Regulares. 173
29 De Miniſtris Eccleſiæ. 175
30 De Cæremoniarum Magiſtro. 177
31 De ſubcancore. 179
32 De Sacriſta. 179
33 De Manſionariis. 182
34 De Punctatore. 182
35 De functionibus Minorum ordinum ad vſum reuocandis. 184
36 Quæ ad Diuina officia pertinent. 186
37 De Organo, & Muſica. 201
38 De diſtributionibus quotidianis. 203
39 De Proceſſionibus. 209
40 De funeribus, & exequiis. 209
41 De Curatis. 221
42 De iis, quæ ad Capitulum pertinent. 229
43 De ſacroſanctis Eccleſiis, earumq́ cultu, & ueneratione. 235
44 De Immunitate Eccleſiaſtica. 245
45 De bonis Eccleſiaſticis. 248
46 Quæ ad Sholas, Confratrias, & ad loca pia pertinent. 253
47 De foro iudiciali Epiſcopi. 261
48 De Excommunicationis ſententia. 267
49 De Concubinariis. 272
50 De falſis teſtibus, & libellos famoſos edentibus. 273
51 De Vſuris. 274
52 De Simonia. 275
53 Quæ generatim ad has conſtitutiones pertinent. 276

CON-

CONSTITVTIONES ET DECRETA DIOECESANAE

Synodi Caſtellanetenſis.

De fidei Catholicæ profeſſione, eiuſq; tuendæ ſtudio.

CAPVT I.

AETERNAE ſalutis principium, Chriſtianæque religionis firmamentum firmum, & vnicum, Catholica fides eſt: ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, nec ad Deum accedere quiſquam poteſt. Propterea Eccleſiarum Antiſtites, animarumque Paſtores maxima cura verſari debent in ijs, quæ ad eam integrè, inuiolatèq; conſeruandam pertinent. Ideo nos hinc potiſſimum exordiendum eſſe duximus, vt quæ ex eodem ſpiritu eſt fides, eandem vnà oris confeſſione profiteamur. Nos igitur veterem Sanctorum Patrum conſuetudinem ſecuti; ſacrique Conc. Trid. auctoritate innixi ſtatuimus, vt quemadmodum nos cum Reuerendiſſimis Patribus, Metropolitano, cæteriſque huius Pro-

uinciæ Epiſcopis in initio proximæ Prouincialis Synodi Tarentinæ religioſo pietatis ſtudio fidei profeſſionem emiſimus: ſic omnes Clerici, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, vel in poſterum obtinebunt, cuiuſcunque gradus, & conditionis illi ſint: & qui in Synodum Diœceſanam, conuenire debent, in ea Synodo, quæ proxime (Deo bene iuuante) celebranda eſt, omnia, & ſingula à ſacroſancto Conc. Trid. definita, & ſtatuta palàm recipiant: veram obedientiam, Summo Romano Pontifici ſpondeant, ac iurent: ſimulque hæreſes omnes publicè deteſtentur, & anathematizent, publicam fidem profitentes.

CAP. II.

AVctoritate igitur Sacri Conc. Trid. præcipimus, & mandamus, vt amodo prouiſi omnes de beneficijs quibuſcumque curam animarum habentibus, necnon de Canonicatibus, & dignitatibus, ad ſacroſancti Conc. Trid. præſcriptum, Catholicæ fidei profeſſionem emittere teneantur, genibus flexis in manibus noſtris, vel nobis impeditis coram generali noſtro Vicario.

CAP. III.

OBtinentes autem dignitates, & Canonicatus, & qui deinceps obtinebunt, in Capitulo coram omnibus etiam profiteantur, ad minus intra duos menſes: & contrafacientes de-

creto iuxta Canonicas ſanctiones,& decreta prædicta, ac pœnis arbitratrijs puniantur. Idem facere teneantur confeſſarij, antequam ſe intromittant, ad fidelium confeſſiones audiendas.

CAP. IIII.

IDipſum de Medicis Phiſicis, & Chirurgicis cautum ſit: qui ſi obtemperare noluerint, arte medendi protinus interdicantur, vt Pij V. conſtitutione proximè ſancitum eſt.

CAP. V.

COncionatores, ſiuè ſæculares, ſiuè Regulares ad verbi Dei prædicationem ne admittantur: niſi antea fidei profeſſionem coram Epiſcopo, vel eius Vicario præſtiterint: aut illius præſtitæ obſignatum teſtimonium exhibuerint.

CAP. VI.

PRæcipimus præterea eiuſdem pontificiæ cōſtitutionis vigore, vt omnes tā laici, quàm Clerici, ſeculares, aut quorumcunque ordinum regulares, qui alicuius ſcientiæ, aut artis, ex his, quas liberales appellant, etiam ſi ſit Arithmetica, & Muſica, publicè, aut priuatim exercent, aut in poſterum exercebunt, idem facere teneantur.

CAP. VII.

CLericis demum in minoribus ordinibus conſtitutis præcipimus, & mandamus, vt ſingulis dominicis diebus coram proprijs Præfe-

ctis Curatis ſymbolum Athanaſij recitare non omittant: donec illud rectè memoriæ commendarint.

C A P. VIII.

CVrati verò plebes ſibi concreditas inſtruāt, curentque, vt fidei Catholicæ articulos quilibet ratione pollens intelligat: ſed eos explicitè, qui ſolemnizantur ab Eccleſia præcipue verò Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis D.N. Ieſu Chriſti.

C A P. IX.

AEgroti mortis imminente periculo, ſiuè per ſeipſos, ſiuè etiam per alios eorum nomine latina, aut propria lingua fidem Catholicam profiteantur, vt Deo placere, & Diaboli tentationes, cui reſiſtendum eſt in fide, ſuperare valeant: idquè plurimum confeſſariorum, & curatorum diligentiæ, caritatique commendamus.

C A P. X.

FOrmula autem, ad cuius præſcriptum fidei profeſſio præſtanda ab omnibus eſt, pontificia illa Pij iiij. ſanctione conceptis verbis tradita, hæc ſanè eſt.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium,

&

& inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex patre, filioque procedit Qui cum Patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector.

Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione

ſacra-

ſacrarum ſcripturarum admitto: nec eam vnquam niſi iuxta vnanimen conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè ſacramenta nouæ legis, à Ieſu Chriſto D.N. inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre: Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & ordinē ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Trid. Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis: atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, & realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem vnà cum anima, & diuinitate D.N. Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem: quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie

cie

cie totum, atque integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & ſanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre: atque eorum reliquias, eſſe venerandas.

Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe: atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe: illarumque vſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cetera item omnia à ſac. Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Trid. Synodo, tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atquè hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem extra quàm

nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari (quantum in me erit) curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro.

Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. Amen.

CAP. XI.

AD extirpanda de Agro Dominico infidelitatis zizania, vtque fidei puritas immaculata in Ciuitate, & Diœceſi noſtris conſeruetur, cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna diſtrictè præcipiendo mandamus, vt nobis, & ſucceſſoribus noſtris pro tempore, ſi quos fortaſſe de Catholica fide ſuſpectos nouerint denuntient, vt contra eos ad ſac. Can. diſpoſitionem debitè procedatur. Informationes autem, ac proceſſus, quoſcumque aduerſus improbum huiuſmodi hominum genus confectos Romam ad Illuſtriſſimos Cardinales Officij ſanctæ Inquiſitionis tranſmitti quamprimum volumus, vt ipſi, quid in cauſa ſtatuendum ſit, pro eorum ſumma authoritate cognoſcant: omnémque adhibeant di-

ligentiam, atque conatum præfecti curati homines huiuſmodi inquirendi.

CAP. XII.

ADmoneant Curati, & Concionatores populum quàm frequentiſſimè poterint, ne verbis ſacræ ſcripturæ, & ſententijs ad iocum, aſſentationes, contumeliam, ſuperſtitionem, impietatem, adulationem, vana, fabuloſa, impias, & diabolicas incantationes, ſortes, etiam libellos famoſos, aut ad quoſuis alios profanos vſus abutantur: & contrafacientes iuxta ſac. Canonum, & ſacri Conc. Trid. decreta, ac pœnis arbitrarijs puniantur.

DE LVDI MAGISTRIS.

CAP. I.

CVM Adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur prona ſit ad mũdi voluptates ſequendas, & niſi à teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequàm vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquàm perfectè, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeueret. Propterea ſacroſancta Trid. Synodus ſtatuit, vt ſingulæ Cathedrales,

drales, Metropolitanæ atque his Maiores Eccleſiæ pro modo facultatum, & Diœceſis amplitudine certum puerorum numerum ipſius Ciuitatis, & Diœceſis, vel eius prouinciæ ſi ibi non reperiantur, numerum in collegium ad hoc propè ipſas Eccleſias vel alio in loco conuenienti ab Epiſcopo eligendo alere, ac religioſè educare, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtruere teneantur.

CAP. II.

ET quia in hac Ciuitate, & Diœceſi noſtris Capituli, & aliorum beneficiorum adeò tenues ſunt prouentus, vt hoc opus nullo modo perfici poſſit: Ludi Magiſtrum pro Clericorum educatione à nobis, in noſtra hac Caſtellanatenſi Eccleſia conduci ſtatuimus: eiquè quotannis pro mercede ſoluantur aurei nummi quinquaginta: hoc ſcilicet modo per Epiſcopum viginti, totidemquè per Capitulum, ac per reliquos huius diœceſis noſtræ beneficiatos decem, iuxta taxam per nos præſcribendam.

CAP. III.

QVi ludi Magiſter non minus fide ſit, & vita, quàm doctrina, ſcientiaquè commendatus, & à nobis approbatus, fidemquè ſanctam Catholicam in manibus noſtris, vel noſtri Vicarij generalis profiteatur: is vetitos libros, nec habeat, nec eos tantum pueris interpretetur, vel

ab

ab illis legi patiatur, qui in Indice prohibentur, ſed neque alios, qui rebus obſcœnis, & turpibus reſperſi ſunt: qui ſecus fecerit, pœnis à ſacris Can. & Conſtitutionibus Pontificijs ſtatutis, & alijs arbitrarijs ſubiaceant.

CAP. IIII.

IS in hac Clericorum ſchola perpetuùs vſus ſit, vt Cathechiſmus Romanus pueris, atque adeò adoleſcentibus prælegatur, & expli-cetur quàm diligentiſſimè. Nullaquè eius pars prætermittatur, cuius doctrinis, quoad eius fieri poteſt, non imbuantur: & præter cætera, quibus, & ad pietatis exercitationem, & ad literarum doctrinam adoleſcentium animi erudiuntur: ſtudium etiam ſacrorum Rituum, hiſtoriaquè omnis Eccleſiaſtica certis ſtatis diebus inſtituantur, quæ Clericalis ordinis huiuſmodi literis maximè accomodatæ ſunt, ad optimam religiosè diſciplinæ rationem.

CAP. V.

DIebus feſtis illos, aut ipſi deducant, aut frequentes conuenire iubeant, ad miſſæ conuentualis ſacrum, ad verbi Dei prædicationes, ad diuina veſperarum officia, ad ſacrarum literarum interpretationes, ad Doctrinæ Chriſtianæ ſchólas, & ad alia denique ſpiritualis vitæ ſtudia, atq; exercitationes, quæ vltimo Lateranenſi Concilio ſub Leone X. decreta ſunt.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

CAPVT I.

QVÆ circa initia fidei tradenda, Tridentino Concilio decreta ſunt, vt in noſtra hac Ciuitate, & Diœceſi inuiolatè obſeruentur, præcipimus, & mandamus, vt ſingulis dominicis, alijſquè feſtis diebus, qui Eccleſiæ præcepto agi ſoleant, curati, aut alij, qui ad hoc munus per Epiſcopum fuerint electi, pueros in Eccleſijs deſtinatis fidei rudimenta doceant, moneantquè Deo primum, poſtea parentibus obedientiam præſtandam.

CAP. II.

ITaque paulò poſt prandium, ſtata hora, proprio campanæ ſono ad id munus aſſignato in Eccleſia clara voce, diſtinctis verbis pueri hinc, inde diſpoſiti præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita recitent: & fidei Symbolum, reliquaſquè orationes, quæ ſalua religione ignorari non poſſunt.

CAP. III.

COnfeſſarij grauiſſimam pœnitentiam iniungant: & Concionatores diuinam vltionem denuntient patribus familias, & Dominis, qui

om-

omnem rationem non inierint, vt ſui liberi, & famuli frequentes in Eccleſiam conueniant, & Chriſtianæ doctrinæ inſtitutiones addiſcant.

CAP. IIII.

VT vehementius homines, ad tam ſalubre opus excitentur: & ad Doctrinæ Chriſtianæ ſcholas maior in dies progreſſio fiat, curabimus, Deo auxiliante, vt eius rei nomine ſodalitas erigatur: & per concionatores indulgentiæ, quæ à Pio V. & poſtmodum à Gregorio XIII. huius ſodalitatis hominibus conceſſæ ſunt, publicentur. Quas præuio pœnitentiæ ſacramento & digna ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptione ſingulis Kal. Maij conſcripti fratres, & ſorores conſequi ſolent indicta in eundem diem ſolemni totius ſodalitatis proceſſione.

CAP. V.

CLerici in minoribus ordinibus conſtituti, quibus per ætatem non licet, doctrinæ Chriſtianæ formulam in Eccleſijs recitare, qua hora diuinis officijs concelebrandis non ſunt adſtricti, curatos alioſue præfectos adiuuent in ſcholis. ſi ſecus fecerint ab Epiſcopo puniantur.

DE

DE LIBRORVM VSV, ET Bibliopolis.

CAP. I.

PERNICIOSORVM, & falſorum librorum (cum perpetua quodammodo peſtis ſit; cui remedium afferre ſemper oporteat.) licet in hac noſtra Ciuitate nulla ſit ordinaria vendendorum librorum officina neque librorum impreſſores; tamen quia ſemper in Nundinis, ac alio in tempore, ad eam ſe conferunt venditores ipſorum, & ſæpe cum libris vetitis, & prohibitis inſcios inficiendo, & mentes eorum labefactando: propterea præcipimus, & mandamus, neminem libros vendere, aut emere poſſe niſi prius ipſis omnibus bene inſpectis, viſis, & recognitis, & deinde de noſtra licentia in ipſorum indice bona fide confecto, & propria ſubſcriptione munito, & Iureiurando affirment, ſe alios in officinis non habere, ſcriptis obtenta, ſeruarique mandamus ab omnibus bibliopolis, ceteriſquè omnibus laicis, & Eccleſiaſticis hominibus regulas, & indicem librorum prohibitorum iuxta decretū Sac. Conc. Trid. ex authoritate fel. rec. Pij IIII. & Sanctiſs. Domini

noſtri

noſtri Clementis diuina prouidentia Papæ octaui editas. Et qui in aliqua fraude fuerit, deprehenſus, is librorum amiſſione mulctetur, & alia pœna arbitrio Epiſcopi reſeruata.

C A P. II.

NE quis opuſcula libros comentarios, aliaue id generis, quouis titulo, & nomine, quæ manu ſcripta ſunt circumferat, aut euulget: niſi prius ab Epiſcopo, aut ab alio eius iuſſu recognita ſint, atque proprijs ſubſcriptionibus approbata.

C A P. III.

HÆREDES vltimarum voluntatum exequutores libris à Defuncto relictis non vtantur: neque alijs vendant, aut alijs vtendos dent: aliaquè quauis ratione tradant: niſi prius eorum indicem Epiſcopo attulerint: & ab eo facultatem ex ſcripto obtinuerint, illis tutò, & impunè vti poſſe, idquè ſub pœna excommunicationis, & librorum amiſſione intra menſem poſt teſtatoris obitum facere teneantur.

DE VERBI PRÆDICATIONE.

C A P. I.

CVM Verbi Dei prædicatio proprium, ac præcipuum munus noſtrum ſit, quæ valde

populo

populo Dei neceſſaria eſt; cum ſit cibus, ſpiritualiſquè animæ alimonia: Ideò Sac. Conc. Tridentinum grauiſſimis verbis hoc onus nobis impoſuit, vt per nos ipſos gregem dominicum ſalutaribus documentis pro paſtorali noſtro munere copioſè paſcamus: & ſacram ſcripturam, diuinamquè legem fideli populo annuntiemus, & interpretemur: prout pro poſſe noſtro facimus; verum legitimè impediti per idoneas perſonas id effici curamus.

CAP. II.

NEmo autem, vt à Clemente V. Pont. Maximo in Concilio Viennenſi ſancitum eſt concionem habeat, qua hora Epiſcopus in eadem Vrbe vel oppido concionatur: niſi aliter ille conceſſerit.

CAP. III.

ET, quia cuius vita deſpicitur, eius prædicatio contemnitur, præcipimus omnibus concionatoribus, vt priuſquàm ad prædicandum ſe exponant præter literarum ſcientiam, ſuos mores, vitamquè ita componant, vt alios exemplo ædificent: non deſtruant: doctrinam ſanctam, Catholicamquè, & ſanctum Euangelium prædicent, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, & Sanctorum Patrum auctoritas comprobauit. Hæreticorum Argumenta apud imperitam multitudi-

nem

nem non recitent, ſed potius, ſi neceſſitas poſtulauerit acerrimè confutentur. Epiſcopos, alioſquè Prælatos, vel temporales magiſtratus cum auditorum offenſione aſperius non obiurgent: ſed piè potius admoneant: populumquè doceant Præpoſitis ſuis, etiam diſcolis obedire: quem etiam ſæpiſſimè moneant ex Apoſtoli ſententia, vt faciat obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt: præſertim verò pro ijs, qui peruigilant, quaſi rationem pro animabus eorum reddituri: vt quietam, & tranquillam vitam gerant in omni pietate, & caſtitate. In reprehendendis autem vitijs ita ſe habeant, vt cuiuſquam famæ, & honori nominatim, vel per circumlocutionem nullo pacto detrahant. Nec inanes fabulas, & ridiculas interponant: ſed eorum præcipuus ſcopus ſit vitia redarguere: bonos mores, ſanam, Orthodoxamquè doctrinam inducere: & ad Ieſu Chriſti D. N. eiuſquè ſanctorum imitanda veſtigia, cohortationibus, & admonitionibus inflammare. Certum iudicij tempus non præfiniant: nequè ſe aliquid diuinare ex ſacris litteris, nequè etiam ex reuelatione præſumant.

CAP. IIII.

EVangelicæ hiſtoriæ prædicationẽ numquàm omittat concionator: niſi, vel temporis, vel celebritatis, vel officij ratio aliter depoſcere vi-

deatur. Sancti, cuius dies feſtus agitur, vitam verè, grauiterquè commemoret. Sacram ſcripturam ad ſuos ſenſus ne contorqueat contra eũ ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia liceat tamen ei, aliquam interpretationem in medium afferre, ab vnanimi Patrum conſenſu non alienam, vt vel pietatis ſtudium excitet, vel fidei Catholicæ doctrinam illuſtret. Contra Pij V. præſcriptum de Beatiſſimæ Virginis immaculata conceptione diſputare ne audeat. Patrum ſententias ne temerè vmquàm refutet. Singulares quaſdam quæſtiones (quanquam illæ quidem in ſcholis afferantur,) ad concionem, ne adhibeat. Ne Indulgentias Populo niſi Epiſcopo iubente promulget.

CAP. V.

NEminem paupertatis nomine Populo comendent, abſque Epiſcopi licentia. Eleemoſina ad fores Eccleſiæ petatur, vel ita, vt ſacra Concio nòn impediatur. Prædicationis munus intra Miſſarum ſollemnia, recitato Euangelio perſolui, ex antiqua inſtitutione ſolet. Id igitur ab omnibus Concionatoribus obſeruari mandamus.

CAP. VI.

ETſi nobis cònuenit diebus Quadrageſimæ, & alijs diebus concionibus intereſſe, decet etiam, vt Canonici, & Clerici omnes ſimiliter ſemper adſint: &, ſi iuſſu; & cohortationibus id obti-

obtineri non poterit, propoſitis tandem pœnis efficiatur, vt cæteri noſtro, & eorum exemplo ad audiendum verbum Dei alacrius conueniant. Proinde omnes Laicos in domino hortamur, vt quoad fieri poteſt, frequentius intereſſe conentur: vt ſuis animabus ſpiritualem alimoniam conquirant.

CAP. VII.

IN Diebus Quadrageſimæ, dum verbum Dei in Eccleſia proponitur, omnes Apothecæ, & officinæ, & meritoriæ tabernæ claudantur: & ſacra concio Paſſionis Domini N. Ieſu Chriſti noctu ne habeatur: & quocumque anni tempore diurnis horis prædicetur. In concionibus autem audiendis loca virorum, ac Mulierum diſtinguantur, vt omnis penitus peccandi anſa tollatur, & Verbum Dei auditorum mentibus firmius inhæreat, & fructuoſius coaleſcat.

CAP. VIII.

POſtremò præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis concionatoribus, vt prædicare nõn audeãt abſq; noſtra approbatione ſub pœnis arbitratu noſtro infligendis: ſi verò Regulares fuerint, & prædicare voluerint in Eccleſijs etiam ſuorum ordinum, cum his decreta Sac. Concilij Trid. ſeruentur.

DE CANONICO THEOLOGO, *eiusq; Præbenda Theologali.*

CAP. I.

NE cœleſtis ille ſacrorum librorum Theſaurus, quem Spiritus Sanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat: neu ſacræ Scripturæ lectio vllo vmquam tẽpore deſiderari poſſit: Nos, vt, quod Sacroſancta Trid. Synodus, pijs Summorum Pontificum conſtitutionibus inhærens proximè decreuit, de Præbendis, aũt præſtimonijs, ſeu ſtipendijs Sac. Theologiæ lectoribus deputandis, omnino obſeruetur. Canonicalem in Eccleſia noſtra Cathedrali præbendam, ſeu portionem quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis primò vacaturam ad eum vſum aſſignamus: cui etiam, vt amplior, & magis ſufficiens ſit, ex hoc tempore Beneficium primò vacaturum per mortem Leonardi Antonij Hyelici Præsbyteri huius noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Caſtellanetenſis vnimus, conſtituimus, & deputamus: eiuſdem tamen Beneficij debitis cum oneribus: quam, quidem canonicalem præbendam non poſſit, niſi Sacræ Theologiæ interpres, idemquè idoneus obtinere, nequè alteri vllo

vllo modo adepta poſſeſſio ſuffragetur.

CAP. II.

HVius præcipuum erit munus, aliquid ex veteri, aut nouo teſtamento interpretari: conſcientiæ caſus proponere, & definire: & alia demum legere, quæ Epiſcopi iudicio ad animarum ſalutem, magis eſſe neceſſaria videbuntur, omnibus diebus dominicis, vel manè, vel etiam poſt veſperas, pro temporis neceſſitate, & commoditate, atque in alijs ſollemnitatibus feſtis per annum. Alijs verò diebus, ac temporibus id munus pro Cleri vtilitate, ad Epiſcopi præſcriptum præſtare non omittat: idquè ſaltem ſemel in hebdomada, vt ipſius etiam commoditati aliquo pacto conſulatur.

CAP. III.

ILlis verò diebus, quibus erit huiuſmodi lectionibus impeditus, vt liberius ſcripturarum ſtudio vacare poſſit à Choro intelligatur exemptus: de cætero autem, ſi muneri ſuo non ſatisfaciat, etiam tanquam Canonicus nulla gaudeat punctationum immunitate.

CAP. IIII.

STallum ipſius in Choro, & Capitulo, locuſquè in proceſſionibus, & vbiq; primus ſit omnium canonicorum poſt quatuor dignitates perpetuis futuris temporibus, idquè intelligatur expreſſè ſine præiudicio modò ſuperuiuentium.

CAP.

CAP. V.

VOlumus autem, vt donec talis idoneus Canonicus reperiatur, vacante dicta Canonicali præbenda ſuppleat vices Canonici Theologi aliquis Clericus Regularis, qui ad id munus idoneus ab Epiſcopo repertus fuerit.

DE SACRIS IMAGINIBVS.

CAPVT I.

CVM Sacroſancta Trid. Synodus decreuerit nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: eiuſq; diligentiæ, & curæ commendarit, vt in ſacris effingendis imaginibus, nihil falſum, nihil prophanum, nihil inhoneſtum, nihil præpoſterè, nihil non rectè, atque ordine adhiberetur: illud imprimis nobis curandum eſt, ne quid pingatur, aut ſculpatur, quod veritati ſcripturarum, traditionum, aut Eccleſiaſticarum hiſtoriarum aduerſetur: ne cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur. Picturæ igitur indecentes, ſiuè in tabulis, ſiuè alibi propoſitæ fuerint, ſancimus, vt nullatenus poſthac in Eccleſijs effingantur, id quod longè

gè

gè ante Conſtantinopolitano ſexto Concilio fuerat conſtitutum. Vt enim à communione fidelium ſunt eliminandi, qui Eccleſiæ damnant imagines, ab vſque Apoſtolorum temporibus introductas: ita etiam grauiter puniendi pictores, & ſculptores iuxta Concilij Tridentini decretum, qui prophanas aut turpes imagines effingunt, aut quæ veritati ſcripturarum non ſint conſonæ, vel quæ ad prototypi dignitatem, & ſanctitatem non accedunt. Tales igitur ſint, vt dum cernuntur, pietas fidelium ad illarum aſpectum deuotè excitetur, ad exhibendam ijs, quorum imagines ſunt reuerentiam, & honorem.

CAP. II.

PRopterea pictoribus, & ſculptoribus ſub excõmunicationis pœna præcipimus, ne inconſulto Epiſcopo aliquam ſacram imaginem publicè, vel priuatim effingant, aut in Eccleſijs ponant: Rectoribus etiam Eccleſiarum, qui vllam ſacram imaginem nouam, aut inſolitam contra Sacri Cõcilij Tridentini ſanctionem ſuis in Eccleſijs etiam exemptis poni permiſerint, pœnam etiam excommunicationis ſubeant: vel aliam Epiſcopi arbitratu.

CAP. III.

SI quæ verò iam pictæ imagines, fictauè ſimulacra ob Artificum temeritatem, aut inſcitiam eiuſmodi fortaſſe fuerint, vt ferendæ nullo modo

vi-

videantur: eas curabimus doctorum etiam peritorum virorum conſilio adhibito, vt omnino deleantur, vel ſaltem aliqua ratione corrigantur ſum ptibus quorum intereſt, pœnis contra contumaces ab Epiſcopo imponendis.

CAP. IIII.

SAcroſanctæ Crucis effigies, ſacræquè aliæ imagines, ac ſanctarum, ſanctorumuè hiſtorias, ſacrorumuè Myſteriorũ figuras, & ſignificationes, in nullo quouis humi ſtrato, pauimento, aut loco ſordido, etiam extra Eccleſiam inſculpi, pingi, effingiuè ſancimus.

CAP. V.

CRucis, & Chriſti Domini in ea affixi imago, ſub ipſo Maioris Capellæ arcu fornicato proponatur: aut, ſi nimis fuerit depreſſa fornix, parieti, qui ſupra ipſum arcum eſt affigatur.

CAP. VI.

CRuces, & ſanctorum imagines ſolemniter, ſtatiſq; precibus ex Eccleſiæ ritu benedicantur: ſi quæ ſacræ Tabulæ, imagineſuè pictæ nimia vetuſtate, carie, ſitu, aut ſordibus penè deletæ indecenti aſpectu ſunt, eas nos, pia, religioſaq; pictura ab ijs, quorum intereſt renouari iubemus, aut ſi id non poteſt omnino deleantur.

CAP. VII.

NE tabulæ ſanctorum imaginibus expreſſæ vetuſtate conſumptæ, in vilem, & ſordidum, pro-

prophanumque vſum conuertantur: ſed vt de Altaris, pallis, ac velis temporis vſura confectis, ab Eccleſiæ naſcentis exordio, Beati Clementis Pontificis, & Martyris decreto ſancitum eſt, in ignem conijciantur: & cineres præterea in pauimenti foſſis collocentur. Imagines, quoque ſculptæ, ſi deformatæ fuerint, amoueantur, & ſub Cæmeterij ſolo, aut aliquo honeſtiori loco reponantur.

CAP. VIII.

NOn ferenda eorum hominum licentia videtur, qui inter ſanctorum imagines, quas in Eccleſijs, aut in Altaribus iuris ſui patronatus effingi procurant, aut ſe, aut filios, aut etiam mortuos parentes inſerere audent. Propterea hoc Synodali decreto ſancimus, ne mortuorum hominum, aut etiam viuorum, quorum finis incertus ſit ſimulacrum inter ſanctorum imagines appingatur, & ſi quod pictum fuerit, vel emendetur, vel penitus auferatur.

DE SACRARVM RELIQVIARVM Veneratione.

CAP. I.

VT Sacris ſanctorum Reliquijs, quæ debetur veneratio, & cultus tribuatur, quæ olim viua membra Chriſti, & Spiritus ſancti templum fue-

runt ab ipſo ad æternam, beatamquè vitam in extremo Iudicij die ſuſcitanda, ac glorificanda: Hæc nos, tàm in noſtra Cathedrali Eccleſia, quàm in vniuerſa Diœceſi noſtra obſeruari ſtatuimus, vt in locis honeſtiſſimis, ac decoris Vaſculis, qua debent religione aſſeruentur.

CAP. II.

CVm Populo pietatis cauſa oſtenduntur, lumina accendantur. Ex loculis verò, & receptaculis vbi condita ſunt, ne educantur. Nec temerè exponantur omnium oculis, neuè quæſtus gratia, ſed tantum ſollemnioribus diebus, vel quoties id Epiſcopo videbitur expedire, neuè in priuatis edibus: neuè apud laicos homines, ſed in Eccleſia loco conſpicuo bene ſepto, & ornato collocentur. Is locus duabus clauibus obſeretur, quarum vnam Epiſcopus, vel alius, quem ipſe eligerit, alteram Rector Eccleſiæ, ſeu ſacriſta maior diligenter cuſtodiat.

CAP. III.

LIceat tamen ijs, quibus rationabili de cauſa Epiſcopus conceſſerit illas in priuato oratorio aſſeruari: ſecum autem ſacras reliquias nullus ferat, niſi neceſſitatis cauſa, qualis eſt longa nauigatio, aut periculoſum iter, vel quid ſimile, idq; ei ab Epiſcopo concedatur.

CAP.

CAP. IIII.

A laicis hominibus ne tangantur, aut pertra-ctentur. Cùm verò ab Eccleſiaſtici ordinis hominibus illæ cum ſuis loculis, vaſculiſuè ſuſcipiuntur, vt, vel populo oſtendantur, vel in altari exponantur, vel in proceſſionibus ferantur, primùm illis thurificatio adhibeatur: ſi quæ in via ferãtur tunc acoluthus, ſacerdoti illas ferenti præ eat, qui item thurificet.

CAP. V.

NE paſſim omni tempore, ſed certis tantum feſtorum dierum celebritatibus, vtpote in Natiuitate Domini, Epiphania, Paſcha Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, & eiuſmodi, feſtoquè ipſo die exponantur, oſtendanturvè, quo il lius ſancti, cuius reliquiæ ſunt vel Eccleſiæ in qua reconditæ ſunt celebritas ſollemni, feſtoquè officio agatur: tum præterea quo die ob aliquam cau ſam Epiſcopus iuſſerit. Nullo autem modo vnquã illæ ab operimentis, aut velis nudæ oſtendantur, exponanturuè.

CAP. VI.

Cùm verò in altari exponũtur hoc ſeruetur. Primò in illis exponendis proceſſio per Eccleſiam, vbi illæ ſunt ab eiuſdem Clero agatur, certo luminũ numerò adhibito. Rurſus idem præſtetur, cúm reconduntur, & hoc munus à ſacerdote, qui poſt Epiſcopum in illa Eccleſia digniorem ſacer-

dotalem locum obtinet, vel alio canonico, niſi ali quando Epiſcopus ipſe id munus ſibi obeundum cenſuerit, exponãtur, & recondantur: iſquè ſuperpelliceo, & ſtola, vel pluuiali etiam pro reliquiarum, Eccleſiæuè ratione indutus ſit.

CAP. VII.

Dùmquè ſacræ Reliquiæ exponuntur, & item, cùm reconduntur, hymnus, vel de Apoſtolis, vel de Martyribus, vel de Confeſſoribus, vel de Virginibus canatur, prout exigunt ſancti, ſanctorũuè Reliquiæ, quæ exponuntur: tum Antiphonæ, & alia eiuſmodi, ad rem accomodata: vltimo loco oratio de ſanctis illis, ſi verò ſanctus, ſanctauè eſt, cuius proprius hymntus, Antiphona, oratiouè extent, illa canantur.

CAP. VIII.

Dum in altari ſacræ Reliquiæ expoſitæ ſunt, candelæ ſaltem quatuor grandiores accenſæ ibi colluceant, ad earumq; cuſtodiam adhibeatur, qui ſemper adſiſtat, vnus, duouè, ſacris maioribus ordinibus initiati, ijquè moribus probati, ac ſuperpelliceo induti. Horum verò Clericorum, non laicorum opera, miniſterio adhibito, liceat fidelibus pietatis, & religionis cauſa, calculorum coronis ſacrarum Reliquiarum vaſcula, loculoſuè attingere, qua hora Epiſcopus conceſſerit.

CAP. IX.

EX loculis vbi reconditæ ſunt, ne eruantur. Quarum verò reliquiarum ſcriptiones aliqua ex parte exſeſæ ſunt in charta renouentur. Ijs verò quæ nullam retinent inſcriptionē, ſi conſtet, quorū ſanctorum illæ ſint propria nomina apponantur.

CAP. X.

SIne Epiſcopi conceſſu, & facultate, ſcriptis etiā permiſſa nulli liceat de loco ad locum ſanctorum reliquias transferre: nequè id nos ſine iuſta, & rationabili cauſa concedemus.

CAP. XI.

CAueant poſtremò omnes Clerici huius Ciuitatis, etiā regulares, & quicunq; alij, vt poſthac nulla noua miracula populo proponant, neq; nouas reliquias recipiant, neq; admittant, niſi prius, à nobis Sac. Conc. Tridentini ſeruata forma fuerint recognitæ, & approbatæ, ne Diaboli fraudes, & hominum impoſturæ pro miraculis, veriſquè ſanctorum Reliquijs habeantur ad diuini nominis contumeliam, & inde vera miracula, veræq; ſanctorum Reliquiæ contemnantur.

DE ACTIONIBVS ET REPRE-ſentationibus ſacris.

CAP. I.

QVONIAM piè, & ſanctè introducta conſuetudo repreſentandi Populo venerandam Domini Noſtri Ieſu Chriſti paſſionem, glorioſaq; Martyrum certamina, aliorumquè ſanctorum res geſtas, hominum peruerſitate, ſuadente Diabolo eò deducta eſt vt multis offenſioni, multis etiam riſui, & deſpectui ſit. Idcirco ſtatuimus, vt deinceps Redēptoris Noſtri Paſſio, nec in ſacro, nec in profano loco repræſentetur, agaturuè: ſed illa doctè, piè, ac grauiter à concionatoribus exponatur, vt qui ſunt vberes concionum fructus pietatem, ac lacrymas ab auditorum oculis, eliciant.

CAP. II.

CAueant pariter concionatores, ne aliquas actiones, aut demonſtrationes in mediam concionem inducant, quæ ſit à decoro Chriſtiani oratoris aliena. Item Martyrum cæterorumquè ſanctorum actiones, & Martyria, ne agantur: ſed ità piè narrentur, vt fideles auditores ad eorum immitationem, venerationem, & inuocationem excitentur.

CAP.

CAP. III.

NVllus verò, nec carminè, nec ſoluta oratione aliquid in Eccleſijs ne Regularium,& exēptorum quidem publicè recitáre audeat, quod prius ab Epiſcopo, vel ab eius Vicario non fuerit approbatum.

DE BLASPHEMIA.

CAPVT I.

POST deteſtabilem Hæreticorum incredulitatem, & impietatem, quàm deteſtabile, pernicioſum,impium, ac maxima punitione dignum Blaſphemiæ ſcelus ſit, omnibus ſceleribus, etiam grauiſſimis præferendum, propter quòd fames,peſtes,& Bella aliaquè Dei iuſta flagella hominibus cœlo veniunt,nemo eſt,qui ignoret. Nos igitur vt tantæ impietati, & impudentiæ aliquo modo occurramus, conſtituimus vt Leonis X. & Pij V. conſtitutiones contra Blaſphemos publicos inuiolatè ſeruentur.

CAP. II.

IN foro autem conſcientiæ ei qui blaſphemiæ reus fuerit grauem pro modo culpæ pœnitentiam confeſſor iniungat. Et qui blaſphemantem audierit intra triduum illum apud Iudicem, vel

Eccle-

Eccleſiaſticum, vel ſecularem deferat hortamur, ſin minus aſperius obiurget. Domini, mercatores, aut artifices, ſeruos, & miniſtros blaſphemantes ſemel monitos, ſi reciderint, domo expellant.

CAP. III.

PRæfecti Curati, & Concionatores, ſæpè, prout opus eſſe animaduerterint illam decem annorum indulgentiam edicant, quam Summus Pontifex Leo *X*. in vltimo Later. Conc. toties cuilibet conceſſit, quoties aliquem blaſphemantem accuſarit.

CAP. IIII.

PRincipes autem, & Magiſtratus, per Dei gloriam, quæ blaſphemia maximè violatur, obſecramus, vt hæc omnia diligentiſſimè ſeruari ſtudeant, vberrimam piæ curæ à Deo mercedem expectantes, præter prædictam decem annorum indulgentiam, quam Idem Pontifex Leo X. & ipſis, & Iudicibus, deferentibuſquè elargitus eſt: quòd ſi ſæculares Iudices, (quod minimè futurum ſperamus) blaſphemiæ conuictos, iuſtis pœnis non affecerint, ſciant ijſdem pœnis, quas de ſontibus ſumere neglexerunt ex eodem Concilio ſe teneri.

DE MAGICIS ARTIBVS, VENEficijs diuinationibus prohibitis, & ſuperſtitionibus.

CAP. I.

MALEFICIA, Veneficia, Diuinationes, ſortilegiaquè omnia, vt ſimplicium offendicula, & pernicioſæ fidelium peſtes, è ſocietate fidelium exterminandæ ſunt. In huiuſmodi igitur ſortilegos, Maleficos, Diuinatores, & coniectores ſomniorum, & cuiuſuis generis Magos, qui tacitè vel expræſsè pactiones cum Dæmonibus initas impiè retinent, & obſeruant, qui ligaturis, nodis, caracteribus, & portentoſis, & occultis verbis mentes hominum perturbare, ac dementare, morbos inducere, vel expellere, corporum figuram, & conſtitutionem immutare, Theſauros abſconditos commonſtrare, ventis, tempeſtati, Aëri, ac Mari, incantationibus imperare ſe poſſe credunt, aut alijs pollicentur, ſeueriſſimè iuxta veterum canonum decreta nos animaduertemus. Idemquè agemus in eos, qui ex ſortibus, extis animalium, & oſſibus mortuorum, vel ex corporum lineamentis futura prædicere profitentur, in eos etiam, qui huiuſmodi diuinatores, ſortilegos,

coniectores, Ariolos,& cuiuſuis generis Magos de aliqua re conſuluerint, vel vt conſulerentur, cuiq; auctores,adiutores,hortatoreſuè fuerint,vel eis fidem habuerint, ſeuerè animaduertemus.

CAP. II.

ASTrologi, qui vocantur, niſi ſuam artem, ad agriculturam, nauigationem, & rem medicam accommodent, aliò deflectere ſcientiam illam ne permittantur. Natiuitatis tabulas erigere vetentur, quibus de futuris contingentibus, & de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certò aliquod euenturum affirmant, etiam ſi id, ſe non certò affirmare aſſerant, & proteſtentur, illos etiam qui huiuſmodi ſcientiam profitentur, docent,aut diſcunt quales quales illi ſint nos in eos ſeuerius canonicis pœnis,& alijs arbitratu noſtro animaduertemus, quæ pœnæ etiam ad eos pertineant,qui ad illos de huiuſmodi rebus detulerint.

CAP. III.

QVod verò ſceleratæ quædam mulieres dæmonum illuſionibus ſeductæ nocturnis horis credunt ſe æquitare ſuper beſtias, & multa terrarum ſpatia pertranſire, ne vllo modo humanæ cogitationi inhæreat, Curati, & Concionatores per

Eccleſias ſibi commiſſas prædicare debent, hæc aliquando eſſe falſa, & à maligno ſpiritu huiuſmodi fantaſmata ſimplicium mentibus offerri.

C A P. IIII.

COnfeſſarij, Curatiquè Præfecti omnes, omnē adhibeant diligentiam ne fideles aliquid ſecum habeant, quod aliquo modo ſuperſtitionem redoleat, cuiuſmodi ſunt, quidam annulli, characteres, ſchedulæ, & quæ ſigilla appellant contra armorum offenſionem, vel pro beneuolentia conciliãda, ſuperſtitioſa ſyderum obſeruatione confecta, quod item in hac Prouincia diabolica perſuaſione inoleuit, vt ad vulnerum curationem, & ad aliorum morborum remedia quædam carmina, & cantiones adhibeantur, curabimus nos propoſita excommunicationis pœna, & alijs arbitrarijs, vt penitus auferantur.

C A P. V.

POſtremò moneant curati Præfecti, & Concionatores, eos etiam, qui in itineris ſuſceptiōne, aut cuiuſuis rei inſtitutione, vel progreſſione, dies, tempora, & momenta obſeruantes, quadrupedum voces, auium garritum, aut volatum notantes, ex occurſu etiam hominum, vel pecudum, ſuſcipiendi operis fælicitatem, aut miſeriam augurantes grauiter iuxta Pij V. conſtitutionem eſſe puniendos.

DE FESTORVM DIERVM CVLTV.

CAP. I.

QVIA tàm veteris, quàm noui teſtamenti pagina ſeptimum diem ád humanam quietm ab ipſo mundi exordio, à Domino deputatum, & conſecratum dicit, & tàm eos, quàm alios diuinæ Maieſtati cõſecratos, necnon Natalitia illorum ſanctorum Martyrum, quæ Eccleſia obſeruanda decreuit, &in ipſis ab omni opere ſeruili ceſſandum: Ideo in eam præcipuam curam debet Epiſcopus ſummopere inuigilare, vt feſti dies, piè, ac religiosè colantur, nullatenuſquè violentur, niſi neceſſitas, aut pietas, aliud requirat, & de ſummo illo iure aliquid Epiſcopus relaxarit.

CAP. II.

IN his igitur diebus, ſiuè illi ſint ex Eccleſiæ præcepto inſtituti, ſiuè ex antiquà conſuetudine in hac noſtra Ciuitate, Prouinciaquè celebrantur decernimus, ne artes vllæ illiberales fiant, neuè, aliud ſeruile opus exerceatur, quinimò populi ita inſtituantur, vt interſint ſancto ſacrificio Miſſæ, Diuinis officijs: audiant conciones: ceſſent à quibuſcunque illicitis iudiciorum agitationibus, Emporijs, Nundinis, alijſquè Mercatorijs conuentibus exer-

cendis, atque ea in alium diem non feſtiuum tranſferant iuxta Pij V. Conſtitutionem.

C A P. I I.

Nihil vendatur, aut ematur, niſi, quod ad victũ diei illius, vel ad ægrotorum curationem pertineat, ità tamen, vt qui res huiuſmodi venales habent oſtiolum tantùm aperiant officinarum. Qui feſtum aliquo modo violarit iuxta canonum ſanctiones, & Pij Quinti conſtitutionem ab Epiſcopo punietur.

C A P. I I I.

Curent autem animarum Curatores, vt abſtineant Populi dum diuina celebrantur, à turpibus ludis, à vanis ſpectaculis, circulationibus, comœdijs, curſibus equorum. Cantilenas voce, aut inſtrumentis, publicis locis, vel quaſi publicis, ſeu ſaltationes, & alia nugarum genera, ne exerceant, ſub pœnis Epiſcoporum arbitrio imponendis; conuocationes (quæ parlamenta vocant) ne fiant, niſi neceſſitas inſtet, cum ordinarij expreſſa licentia, & poſt Veſperas: dummodo ne in Eccleſia fiant.

C A P. V.

Moneant præterea Præfecti Curati, & Confeſſarij fideles, ne ſacris iſtis diebus, qui in Dei laudibus, religioſiſquè pietatis officijs maximè conſumi debent, aliquid fiat quod Diuinorum officiorum cultum, feſtiquè celebritatem impediat. Doceant debere vnumquemquè diuinis officijs,

& maximè Miſſis, quæ decantantur, ac etiam Veſperis Pontificalibus, & ſacris Concionibus intereſſe, vt Chriſti fideles à ſecularibus feriati cœleſtibus monitis ſuauiſſimè recreentur, vt Dei beneficia, ſanctorumque laudes, & gratiarum actiones piè recolantur.

C A P. V I.

CVrati admoneant populum, quonam modo ſint Dies feſti ſanctificandi, declarantes (rudibus præſertim) dierum feſtorum obſeruantiam, incipere debere ex generali Eccleſiæ conſuetudine à media nocte præcedentis diei, vſque ad mediam noctem ſequentis feſti.

C A P. V I I.

LAruas quoque prohibemus, dum in Eccleſijs officia peraguntur diuina, ſed non omittant curati, & confeſſarij matribus familias conſulere, ne permittant earum filias, & puellas tempus turpiter conſumere in ſpeculis, & feneſtris, amatores etiam ſub prætextu quòd nubere velint, periculosè, atque etiam inutiliter remorando quod quidē non nunquam multorum malorum in Chriſtiano Populo rudi, ac humili ſeminarium extitit, tornea menta quoque, choreæ, & ſimilia, cùm maximè damnoſa ſint diebus feſtis, eo tempore, quo ſacra fiunt nullo pacto permittantur, præſertim propè Eccleſias.

CAP.

CAP. VIII.

PRohibemus etiam onera iumentis, atque vehiculis per agrum noſtræ Diœceſis feſtiuis ipſis diebus aſportari: niſi fortaſſe euectiones huiuſmodi cæptæ iam fuerint, ſintque longius progreſſuræ.

CAP. IX.

MOneant Magiſtratus ſæculares, vt feſti dies altiſſimæ Maieſtati dedicati nullis exactionũ vexationibus profanentur: ſed ceſſent omnino in cauſis ciuilibus exequutiones reales, & à perſonalibus abſtineant, ſaltem dum Miſſæ celebrantur, niſi neceſſitas, & Iuris ratio aliud ſuaſerit, vt reſpiret Populus, & fœderis habeat interuallum, ac diuinis officijs intereſſe poſſit.

CAP. X.

FEſtiuis diebus Notarij omnes à contractibus inter Ciues conficiendis omnino abſtineant: ſi verò contrahentes exteri fuerint, tunc poſt Veſperas fiant cum Epiſcopi, ſeu eius Vicarij expreſſa licentia. Obligationes veró penes acta nullatenus recipiantur, qui contrafecerint excommunicentur.

CAP. XI.

SIcut Principes, alijque Ciuitatum, & oppidorum Domini, ac Magiſtratus, qui gubernationi præſunt, dignitate præcellunt: ita prælucere debent exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum piè agendi ſtudium. Quamobrem, pro mune-

ris

ris noſtri officio eos paternè admonemus, vt ipſi per annum ſolemnibus diebus ad Cathedralem Eccleſiam conueniant, Epiſcopalique Miſſæ ſacrificio, quod ſolemni ritū fit, Diuiniſquè Veſperarū officijs interſint, idemquè præſtent cum ob iubileum, vel ob aliam publicam cauſam generales proceſſiones, & ſupplicationes aguntur.

C A P. XII.

MOnemus præterea populum, fidei noſtræ cōmiſſum, vt diebus feſtiuis, & Dominicis in Cathedrali Eccleſia Miſſas, & alia diuina officia audiat.

C A P. XIII.

PRæcipimus, & mandamus, ne quis diebus feſtis, ac Dominicis ab Vrbe, oppido, alioue loco cum iter facturus eſt ante diſcedat, quàm Miſſæ ſacrificio interfuerit, niſi ad eum locum proficiſcatur, vbi in tempore rei Diuinæ intereſſe poſſit.

C A P. XIIII.

ECcleſiaſtici verò homines, quicunque ſint, & ij præſertim, qui diuinorum officiorum celebritatibus in choro adeſſe debent, videant, atq; adeò caueāt, ne ſacris illis diebus, quos in Dei laudibus, Religioſiſquè pietatis officijs, & in Eccleſia á clero potiſſimum conſumi oportet, iter, niſi ob Vrgentem cauſam ſuſcipiant, vt hoc cum eorum exēplo excitati fideles, ſacris illis diebus, à diuinis officijs opere itinerario non auocentur.

FESTA AVTEM, QVÆ PRÆTER *omnes Dies Dominicos per annum in hac Ciuitate, & Diœceſi noſtris inuiolabiliter obſeruari præcipimus ſunt ea quæ ſequuntur.*

IANVARIVS.

Circumciſio Domini. 1
Epiphania Domini. 6
Sanctus Antonius per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 17
Sancti Fabianus, & Sebaſtianus. 20

FEBRVARIVS.

Purificatio Beatiſsimæ Virginis. 2
S. Blaſius per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 3
Matthias Apoſtolus. 24

MARTIVS.

Thomas de Aquino. 7
Sanctus Cathaldus per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 8
Gregorius Papa. 12
S. Ioſeph per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 19
Annuntiatio Beatiſsimæ Virginis. 25

APRILIS.

Marcus Euangeliſta. 25

MAIVS.

Philippus, & Iacobus Apoſtoli. 1
Inuentio ſanctæ Crucis. 3
Tranſlatio ſancti Nicolai per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 9
Inuentio S. Cataldi. 10

IVNIVS.

Barnabas Apoſtolus. 11
Vitus, Modeſtus, & Creſcentia mar. per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 15
Natiuitas Ioannis Baptiſtæ. 24
Petrus, & Paulus Apoſtoli. 29

IVLIVS.

Viſitatio Beatiſsimæ Virginis. 2
Sancta Margarita Virgo, & mar.

mart. per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 20
Sancta Maria Magdalena. 22
Iacobus Apoſtolus. 25

AVGVSTVS.

Feſtum Beatæ Mariæ ad Niues. 5
Transfiguratio Domini. 6
Laurentius Martyr. 10
Aſſumptio B.M.V. 15
Sanctus Rochus. 16
Dies octauus Aſſumptionis. 22
Bartholomeus Apoſtolus. 25

SEPTEMBER.

Natiuitas B.M.Virginis. 8
Ianuarius cum ſocijs. 19
Matthæus Apoſtolus. 21
Coſmas, & Damianus, per horas Miſſarũ in Ciuitate. 27
Dedicatio Michaelis Arcangeli. 29

OCTOBER.

Sanctus Franciſcus. 4
Lucas Euangeliſta per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 18
Simon, & Iudas Apoſtoli 28

NOVEMBER.

Feſtum omnium ſanctorum. 1
Dies Mortuorum per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 2
Præſentatio Beatæ Mariæ Virginis. 21
Catherina Virgo, & Martyr per horas Miſſarum intra Ciuitatem. 25
Andreas Apoſtolus. 30

DECEMBER.

Sanctus Nicolaus Conf. huius Eccleſiæ Patronus. 6
Conceptio B.Virginis. 8
Lucia Virgo, & Martyr intra Ciuitatem. 13
Thomas Apoſtolus. 21
Natiuitas Domini Noſtri Ieſu Chriſti. 25
Sanctus Stephanus. 26
Ioannes Euangeliſta. 27

FESTA MOBILIA.

Reſurrectio Domini N. Ieſu Chriſti cum duobus diebus ſequentibus.
Aſcenſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.
Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus.
Sollemnitas corporis D.N.Ieſu Chriſti.
Dies octaua Corporis D.N. Ieſu Chriſti.
Feria quarta Cinerum per horas Miſſarum.
Feria quinta in cœna Domini per horas Miſſarum.
Feria ſexta in Paraſceue per horas Miſſarum.
Sabbatum Sanctum per horas Miſſarum.

DE IIS QVÆ AD SACRAMENTALIA, *vel ſacramenta communiter pertinent.*

CAP. I.

SACRAMENTA Eccleſiæ, ex quibus fidelium Populorum ſalus pendet, & remiſſio peccatorum, gratiaque cœleſtis nobis traditur, eò diligentius ex intima animi pietate, & externo cultu, & veneratione ſunt tractanda, quò illorum ſunt vberiores, & maiores fructus. Propterea non ſolùm ſine aliqua ſimoniæ labe, verùm etiam ſine auaritiæ ſuſpicione adminiſtranda ſunt, vt quòd gratis accepimus, gratis etiam communicemus.

CAP. II.

Caueant igitur omnes Præfecti, Curati, & ſacramentorum adminiſtratores, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel ſignis directè, vel indirectè petant. Qui ſecus fecerit, is, & pœnis Iure communi ſtatutis, & alijs arbitratu noſtro plectetur.

CAP. III.

Caueant pariter prædicti omnes, ne in mortali peccato exiſtentes, ſacramenta adminiſtrent, quia quamuis illorum efficaciam non imminuant,

quæ ex latere D. N. Ieſu Chriſti ſumpſere virtutem: ipſi tamen ſacrilegij reatum ſubeunt. Et minus excitantur fideles eorum ficta pietate.

CAP. IIII.

NOn ſolùm autem ſacramenta à Curatis, & Parochis purè, ſanctè, & religiosè pertractari debent: ſed hoc maximè ab ijs requirendũ eſt, vt ritus, & Cæremonias obſeruent, quas in illis adminiſtrandis, ac etiam in exorciſmis fontium, & ſponſorum benedictionibus Sancta Romana Eccleſia adhibet. ſacerdotes verò in ſacramentorum adminiſtratione ſemper ſuperpelliceum, & ſtolam adhibeant: niſi tamen vel Temporis breuitas, vel præceps occaſio aliud requirere videatur.

CAP. V.

CVrati, & parochi, in adminiſtratione ſacramentorum illorum vim, & vſum pro eorum qui ſumpſerint, & adfuerint intelligentia explicēt diligenter: ac etiam quantus illis debeatur honos, & cultus: & denique quantum obſint indignè tractantibus: & quantum proſint dignè ſumentibus.

CAP. VI.

PRæfecti Curati crebris cohortationibus in id maximè incumbant, vt plebs, ſibi commiſſa ad confeſſionem, & Communionem frequenter, præcipuè autem in Paſchate Reſurrectionis Domini, & Natiuitatis Domini, & Pentecoſtes, ac alijs ſolemnitatibus accedat. Ægrotos verò etiam non

vocati inuiſant, vt ad ſacramentorum ſuſceptionem inducant, & eorum animabus, quacunque ratione poſſunt ſollicitè conſulant, & opitulentur.

CAP. VII.

CVratus, vel eo iuſtè impedito, quilibet confeſſarius, & ſacramentorum adminiſtrator quacunq; diei, ſeu noctis hora vocatus fuerit ad aliquã ſacramenta adminiſtranda ſine vlla mora accedat: officiumq; ſuum alacri animo præſtet. Quod ſi eius negligentia quiſpiam, ſine ſacramentorum ſuſceptione ex hac mortali vita diſceſſerit, præter grauiſſimi ſceleris reatum, alijs etiam pœnis, Epiſcopi arbitratu ſeueriſſimè punietur.

CAP. VIII.

AD Sac. Chriſma, & Cathæcumenorum, & infirmorum oleum quotannis ante paſcha mittantur, qui illud accipiant ſacris ordinibus initiati, & in Eccleſia religioſè aſſeruentur, ita diſtinctis vaſculis, vt facilè eorum diſcrimen appareat, ne alterum pro altero ſine conſcientiæ periculo adhibeatur. Parochus vbi primum olea ſacra noua acceperit, vetera olea ſtatim comburat: Goſſipio etiam in ſacrario planè exuſto. Vaſcula verò vbi anno proximo aſſeruata ſunt diligenter, lauteq; abterſa, atq; expolita, accuratè in ſacriſtiã conſeruet, vt anno ſequenti vſui ſint, quibus aſſeruantur itidem olea ſacra.

CAP.

CAP. IX.

SAcro oleo deficiente, ſi tempus non patitur, vt aliunde haberi poſſit, illa ratio ineatur, canone præſcripta, vt cum oleo conſecrato miſceatur non conſecratum: id verò non conſecratum guttatim ita infundatur, vt ſemper quod infunditur minus ſit oleo conſecrato, quod vel exiguum in vaſe reliquum eſt.

CAP. X.

ET Tabernaculi, vbi ſacratiſſimum corpus Domini aſſeruatur, & Armarij vbi ſacra olea ſtatis vaſculis incluſa cuſtodiuntur, & fontis præterea baptiſmalis, claues Eccleſiæ Rector, animarumuè Curator, vel Sacriſta diligenter cautèque apud ſe cuſtodiat: ac ne Clerico quidem miniſtro illas vllo modo committat, ne in prophanum vſum (quod execrabile ſcelus eſt) adhibeantur: nec verò prohibetur, quominus eaſdem muneris alicuius præſtandi cauſa aliquando ſacerdoti committant, quem in officij parochialis cura coadiutorem habet.

CAP. XI.

DE ſacro Purificationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis vſus, rituſquè benedictionis candelarũ, cæreorumuè, cùm plenus myſteriorum eſt, tùm ſalutarium vtilitatum, quas non ſolùm ex orationibus, quibus Eccleſia in ea benedictione vtitur, ſed ex omni rituali libro probato animarum Curator,

concionatorue, eo ipſo die fidelibus ſtudioſè exponat: quo Religioſius, illas, & geſtent, & habeant. Nam cùm illius benedictionis precatio, ad alia multa referatur, tùm adhæc imprimis. Vt candelæ valeant ad ſanitatem animæ, & corporis, terra, mariq; vt de locis vbi accenduntur dæmon, & quicquid Dæmonis ars molitur, machinaturuè depellatur. Vt mentes, & Corda fidelium igne, & ſplendore ſancti ſpiritus accendantur, illuſtrenturquè: ac depulſis vitiorum tenebris videant, quæ ſint Deo grata, & ſaluti vtilia: vt ignis charitatis cum lumine fidei in animis accendantur, quoad lumen æternum vitæ cœleſtis perducamur. Hæc ſibi omnia à Chriſto Domino, qui eſt Deus verus, & ſplendor lucis æternæ concedi precantur interceſſione, & ſanctiſſimis meritis B. Mariæ Virginis, quicunque fideles in illius honorem candelas, quibus benedictionis preces, eo die adhibitæ ſunt, deuotè geſtant.

CAP. XII.

SAcrorum Cinerum vſus in Eccleſia Dei antiquiſſimus eſt: ac non ſolùm ad ſignificandam, ſed ad excitandam etiam pœnitentiam introductus. Quare Epiſcopus animarum Curator, & Concionator die Dominico, qui feriam aſperſionis cinerum proximè præcedit Populum ſalutares, eas vtilitates doceat, quas in eorum benedictione multis orationibus Eccleſia petit; atque hæ

quidem

quidem præter cæteras ſunt.

Vt fideles, qui ſacro Cinere aſperguntur ad intimam cordis humilitatem adiuuentur.

Vt in eos Benedictio Cœleſtis deſcendat, qua adiuti verè intimè toto animo de peccatis doleāt: Hoc mente ſecum reputantes ob hominis peccatum terram maledictam fuiſſe, noſque omnes in cinerem, ac terram redituros.

Vt detur corporis valetudo ad pœnitentiam peccatorum peragendam.

Vt anima diuino auxilio protegatur.

Vt à Deo impetremus, quæ ad illius voluntatem petimus.

Vt conſtanti animo in bene agendo perſeueremus.

Hæc bona, quæ Mater Eccleſia pro ſac. Cinerum ritu à diuina benignitate precatur, vt piè fideles conſequantur, Parochus, animarumuè Curator illos eo ipſo die moneat, quám religioſa intimi animi pietate, quàm humili, contritoquè corde, quàm humili, demiſſoquè veſtitu ad eam actionem conueniant, quàmque ſeriò ſecum ſtatuant, illos Ieiunij dies in amaritudine animæ ſuæ traducere ad peccatorum ſatisfactionem.

C A. P. XIII.

SAnctiſſimi prȩterea, & antiquiſſimi inſtituti in Eccleſia Dei eſt die Dominico Paſcha Reſurrectionis Domini proximè antecedētē ramos Palmarum,

rum, & oliuarũ ſollemnibus precibus benedici, ac fidelibus tradi, qui geſtent denique religioſè, atque decenter aſſeruent. Et ſicut Ritus is, & inſignem illum Ieſu Chriſti Domini ingreſſum ad Vrbem Hieroſolymam, & triumphum illum commemorabilem ſignificat, quem paſſione, & morte ſua ſuperatis hoſtibus, idem Dominus reſurgens reportauit. Ita alijs, etiam myſterijs plenus ab animarum Curatore, & à Concionatore explicetur, quò ardentius ad religionem illius fideles accenſi ſpirituales fructus capiant, quos à Deo eis Eccleſia precatur: ſunt hi præſertim.

Vt accipiant mentis, corporiſquè vim ad ſalutis opem, Deiquè gratiam implorandam.

Vt quemadmodum Rami folijs virent, ita opera noſtra, & Iuſtitia & omni virtute ſancta, quàm florentiſſima ſint.

Vt ſicut Populus Hebræus Chriſto ramis obuiam factus vnà cum eo Hieroſolymam ingreſſus eſt; Ita nos ſanctiſſimis officijs, atque pijs operibus, Domino obuiam procedamus, illiuſquè veſtigia ſecuti in cœleſtem patriam eo auctore, & Duce recipiamur.

Vt veluti Chriſtus Dominus de Sathana Hoſte cruce ſua triumphauit, ſic nos quàm ſæpiſſimè, id miſericordiæ opus ita repetamus, vt Chriſti amore incendamur ad pugnam, & ad victoriam de dæmone, carne, & mundo reportandam.

Vt quocunque hi rami introducentur, eius loci Incolæ benedictionem Dei conſequantur, omniquè re aduerſa propulſata virtute Altiſſimi defendantur.

Has, & alias ſalutares vtilitates animarum curator, & Concionator fideli Populo exponat, vt qua debet pietate, religioſoquè animo ſacros ramos capiendo, geſtando, & obſeruando Dominum precentur, vt & per paſſionem, mortemq; ſuam, qua dæmonem fregit, ac ſuperauit; & per miſericodiam illam immenſam, qua id egit non ſolùm corpora à malis tueatur, ſed animæ gratiam ſuam cœleſtem infundat, ſicque ipſi multis virtutibus boniſque operibus florentes Chriſtum Dominum ſequantur, hoſtibuſquè omnibus ſuperatis ad gaudia cœleſtis Hieruſalem introducantur.

Bini omnes ad Candelas, & rurſus ad Cineres capiendas accedant, ad palmas etiam ramoſq; oliuarum ſuſcipiendos ſine ſtrepitu, ac tumultu, ſed religioſo ſilentio. Qui extra ordinem acceſſerint à miniſtris eijciantur, neque digni ſint, qui ſacrorum ramorum tunc participes ſint; niſi aliud Epiſcopus cenſuerit.

C A P. XIIII.

SAnctiſſimi item, veteriſquè inſtituti eſt, à ſummo Pontifice formas illas cereas, quas Agnos Dei à figura impreſſa vocamus, ſolemni bene-

dictionis

dictionis ritu, multiſquè religioſis cæremonijs, non ſolùm primo, ſed ſeptimo quoque Pontificatus anno conſecrari. In quo conſecrationis munere ſicut ille Chriſti Vicarius, cuius oratio tanto maioris eſt momenti, quanto eius officium in Eccleſia ſublimius, & cum eodem Chriſto Domino coniunctius multa ſanctè precetur à Deo illis concedi, qui animo pio deuotoquè eos agnos apud ſe habuerint, ita à fidelibus magna deuotione ijdem geſtandi ſunt, ad eoſquè vſus religioſè adhibendi, ad quos ſacræ preces ex Eccleſiæ inſtituto referuntur.

Primò cùm illi domi aſſeruantur, vt piè conſuetudinis eſt, loculo decenti recondantur. Cùm autem collo appenſi geſtantur: in thecam auream, argenteam, eburneam, Chriſtallinamuè, aut alterius generis decentis, rectè incluſi ſint, ita vt tactu violari non poſſint.

Nec verò ad ornatum habeatur quicquam, quod prophanum ſit, quodquè minimè deceat.

Thecarum fabri ne vllo modo eos tangant, attrectentuè ne chirothecis quidem, forcipe, aut vllo alio inſtrumento, ſed ad eos thecis includendos, Clericus in ſacris conſtitutus adhibeatur.

Ne minimam item particulam ſacræ illius ceræ è qua Agni imago effecta eſt, in eis includant quo pluris ſuum opus vendant: ſed ab eo accipiant, qui thecam Agni cauſa faciendam locarint.

Neque autem quiſquam ſacrum illum agnum annulo geſtet: cùm ita parum religioſè geſtetur, et aliqua fœditate, turpiuè tactu violari facilè queat.

Qui ſacros Agnos geſtant hoc Religioſius caueant ne quid impurè, turpiteruè agant, aut è ſacra eiuſmodi re alienum.

QVÆ PERTINENT AD BAPTISMI *Sacramentum*.

CAP. I.

EA quidem fuit inſtituti noſtri ratio in hac Synodo componenda, vt Clericos, & alios fidei, curæquè noſtræ concreditos, de ijs, quæ ad ſacramentorùm adminiſtrationem, & Eccleſiæ Caſtellaneten. profectum videntur magis neceſſaria adiutrice diuina gratia, inſtrueremus. Quamuis igitur ſciamus, multa, & quidem ſingularia, túm in Concilijs generalibus, tùm etiam in prouincialibus, & Diœceſanis, & vbique de huiuſmodi tractatione legi: ea tamen in medium nos afferemus, quæ aptiora negotio noſtro cognouimus. Quare de Baptiſmi ſacramento, vt eſt aliorum ſacramentorum ianua, per quam datur nobis introitus ad militantem, & triumphan-

tem Hieruſalem, & ad æternam hæreditatem, imprimis tractaturi, omnibus præfectis curatis, aliiſque ſacramentorum adminiſtratoribus ſolicitè curandum præcipimus, & mandamus, vt infantes ad ipſorum curam pertinentes, quamprimum ad ſacrum ſuſcipiendum baptiſmum deferri procurent.

CAP. II.

COmpatres non admittantur, niſi vnus, vel ad ſummũ duo, ſcilicet maſculus, & fœmina. Nõ excommunicati, non concubinarij, non publicè infames, non criminoſi, non regulares, & qui eo anno non fuerint confeſſi, & ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ex Eccleſiæ præcepto non ſumpſerint. Et qui fidei rudimenta ignorent, ſaltem orationem dominicam, ſalutationem Angelicam, & fidei ſymbolum, quæ omnia animarum Curatores, & alij ſacramentorũ miniſtri patrinos publicè recitare iubeant; ſi aliunde, eos certò, non ſcient ea tenere.

CAP. III.

CLerici verò noſtris ad tollendas ſcandalorum, & offenſionum occaſiones præcipimus, & mãdamus, ſi quando per hoc, vel cõfirmationis ſacramentum compatres fieri inuitentur, præſertim à mulieribus, vt abſque noſtra licentia, per nos cùm expedire videbitur concedenda ad hoc munus non audeant accedere: nam contingit aliquando

ipſos abuti huiuſmodi vinculo compaternitatis propter nimiā familiaritatem, ex qua ſæpè ſcandalum oriri ſolet, prout in nonnullis perſonis animaduertimus.

C A P. IIII.

SAnctorum nomina pueris imponantur, in iſtius, & aliorum ſacramentorum adminiſtratione cæremoniæ ſeruentur Ritualis Romani. Ad aquam baptiſmalem infundendam, ſupra baptizandi caput, non amplius manu, ſed vitreo cratere, vel argenteo vtentur, quod ad alium vſum non deſeruiat, in fonte baptiſmali, eiuſque ciborio aſſeruato.

C A P. V.

PRæfecti Curati patrinos doceant, quam cum baptizatis, eorumque parentibus ex illorum ſuſceptione ſpiritualem cognationem contrahant.

C A P. VI.

SI infans expoſitus appenſum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur, non ſtatim fidem adhibeant, ſed veritatem peruestigare diligentiſſimè curent: quod ſi dubium adhuc erit, an verè fuerit baptizatus: tunc ſeruata Cathechiſmi Romani formula baptizetur: Si tu es batizatus, ego te iterum non baptizo, & ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo &c.

CAP. VII.

FIdeles in baptizandis filijs eos potius eligant compatres, qui eorum animæ conſulere, quàm qui inopiæ ſubuenire poſſint. Cuius officij ſæpè eos animarum Curator admonebit, curabitquè vt compatres tales deligantur, qui fidei, & morum ratione ſuſcipiendo muneri ſatisfacere poſſint.

CAP. VIII.

SAcerdos baptizaturus primùm, quàm actionem ſuſcepturus ſit diligenter animaduertat, & ad tanti muneris functionem ſanctè, grauiterq; accedat. Deinde compatres moneat, vt iocis omnibus, nugiſquè ſemotis, piè, & religiosè quid agatur attendant, intelligentes ſe Chriſto Domino filios ſpiritualiter generare, teneriquè ſe pro ſuô ſuſceptionis officio eos Catholica fide, & probatis moribus inſtituire, ſi parentes id facere omiſerint. Compatres, & Commatres nihil infantibus, quos ſuſceperunt, aut eorum parentibus baptiſmi tempore largiantur.

CAP. IX.

CAueant Parochi, animarumuè Curatores, ne ſacrum Chriſma in Baptiſmo à laicis attingatur. Neuè linteola, ſeu ſudariola, quibus in baptizatis, ſacri Chriſmatis vnctio extergitur ad hoc aſſeruent, vt ijs tangenda tradant, quos parentes baptizati, ſibi Compatres, vel Commatres fieri cupiunt. Mantilia verò, vel ſudariola, quæ ad

eum vſum afferuntur: ea niſi noua, ne adhibeantur; tùm noua adhibita, ne in prophanum, ſed in Eccleſiæ vſum, cui rectè accomodari poſſint conuertantur: alioquin comburantur.

CAP. X.

NEmo niſi Parochus, Curatorue animarum, aut is, cui ille, Epiſcopuſuè nominatim conceſſerit, in baptiſmo miniſtrando ſtatas illas ſolemnes cæremonias adhibeat, etiam ſi ob neceſſitatem miniſtret, quo in miniſterio, non alterius cuiuſquàm, ſed albi coloris ſtola vtatur.

CAP. XI.

IN Baptiſmo etiam compater non ſit, qui ſacro Chriſmate confirmatus non eſt: eademquè de commatre cautio ſit. Proinde officium erit curati diligenter de hoc antè perquirere. Ne præterea compater adhibeatur, neque in confirmationis ſacramento item, qui minor natu ſit, quàm duodecim annis, ſed qui maior, vel potius ætate ſit prouectiori, vt non ore ſolùm, ſed animo, atque ſeriò ad interrogata, quæ in baptiſmo fiunt reſpondeat, ac planè intelligat ſuſcepti à ſe muneris partes. Nec ante ortum, nec verò poſt occaſum ſolis baptiſmus in Eccleſia miniſtretur niſi aliter fieri aliquando temporis ratio, neceſſitaſuè coget.

CAP.

CAP. XII.

QVoniam in baptiſmo vnuſquiſque piè ac religioſè pollicetur, operibus Sathanæ renunciare, eiuſquè pompas deſerere, id curatus cum vſu venerit populum doceat, præſertimquè Baptiſmi tempore præmoneat, non ſolùm quomodo, & quàm ſimplici amictu ad illum infans deferendus ſit, ſed quàm religioſa in Deum pietate, quàm humili ſpiritu, & quanta etiam veſtitus moderatione Compatres, Commatreſquè adeſſe debeant. Nec verò vllum ornamentum, vel aliud quodcunque, quod Mundi huius Pompam præſeferat adhibere patiatur: cum minimè conſentaneum ſit in ipſo vitæ Chriſtianæ ingreſſu ſtatim ijs rebus ſtuderi, quibus potiſſimum ſollemni ſpõſione renunciatur. Arma præterea ſi geſtarint illicò deponere iubeat.

CAP. XIII.

IN Baptiſmo animarum Curator, ſacerdoſuè baptizans præſentem adeſſe non patiatur, neque Iudæum, neque denique quemquam à fide Chriſtiana alienum: fideles verò, qui præſentes adſunt, piè, religioſè, omniquè animi attentione adeſſe ſæpè moneat, memoria tacitè, ſtudioſeque repetentes, quæ Deo cum Baptiſmum ipſi ſuſceperunt, ſanctè ſpoponderunt.

CAP. XIIII.

Libris Ritualibus, Canonúmque legibus permulta tradita, atque explicata ſunt, quæ in adultis baptizandis adhiberi, ritus poſtulat. In ijs omnibus curatus cùm diligens eſſe debet, tùm magnam in eo curam ponet, vt illis præter doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, quæ neceſſarió ſcire debent admiſſorum ſcelerum, & malæ actæ vitæ pœniteat: tùm vt ijdem in poſterum à peccatis omnibus abſtinere ſtatuant.

CAP. XV.

OBſtetrices quotquot in Ciuitate ſunt, ſingulis annis per ordinarium examinentur, an rectã baptizandi formam memoriæ teneant, recteque illam pronuncient: aliàs baptizandi munus ipſis interdicatur: neque huiuſmodi officio fungantur (licèt idoneæ ſint) niſi ob neceſſitatem tantum, ſcilicet ſi animarum Curator occurrere non poſſit, vel alius ſacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Clericus, vel vltimo loco Maſculus, vbi decenter id fieri poterit: quibus deficientibus tunc facultas fœminæ ſit baptizandi ſeruata forma, ſcilicet. Ego te Baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti, Amen. Aquam ſuper Baptizãdum eo tempore, quo Verba profert perfundens, quæ naturalis ſit ſine ſalis admixtione. Diligenterque & accuratè ſtudeant animarum Curatores huiuſmodi mulieres admonere, illaſquè certiores

tiores reddere de facultate, quæ ſibi tribuitur, ne vltra quàm ipſis conceditur, auctoritatē ſibi arrogent. Illas propoſita in præſenti Synodo pœna deterrendo compeſcant: neque obſtetrices præfatæ ad huiuſmodi officium admittantur, niſi præſtito per ipſas in manibus ordinarij iuramento de obſeruando contenta in præſenti decreto.

CAP. XVI.

ANimarum curatores librum per Alphabetum confectum habeant, & eum diligenter cuſtodiant. In quo baptizati, Parentum, & Compatrum nomina, & cognomina accuratè deſcribant: hac obſeruata forma, quæ in Vrbe Roma ab animarum Curatoribus vſurpari ſolet.

Anno Domini N. Die N. Menſis N. Ego N. baptizaui infantem Die. N. natum vel natam ex N. & N. coniugibus huius Ciuitatis N. cui impoſitum eſt nomen. N. Patrini fuerunt N. & N.

CAP. XVII.

SI infans non fuerit ex legitimo matrimonio procreatus nomen ſaltem alterius parentis, de quo conſtat ſcribatur: omnis adeo infamiæ vitetur occaſio. Si expoſitus ſit infans, exprimatur, quo die repertus, & quot dies ex aliqua veriſimili coniectura natus ſit.

CAP. XVIII.

SI infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus ſit, ita ſcribatur.

Anno Domini.N.Menſis.N. natus eſt. N.filius N. &.N. coniugum, quem ob imminens mortis periculum Domi ritè baptizauit. N. obſtetrix probata, vel N.filius. N. Patrini fuerunt. N. & N.

CAP. XIX.

SI ſuperuixerit infans, & ei adhibitæ ſint in Eccleſia ſac. Cæremoniæ, ita addatur, Die. N. eiuſdem menſis ad Eccleſiam portatus eſt infans prædictus ipſiq; ego. N. ſacras cærimonias, & preces adhibui, & N. nomen impoſui.

CAP. XX.

SI de neutro parente conſtet ita ſcribatur: Baptizaui infantem, cuius parentes ignorantur, Natum die, vt ſupra. Sal benedictum, olea, aqua baptiſmalis nulli vnquã, ne in Sabbatho quidem Sancto ad domos aſpergendas, aut ad bibendum concedatur: ne inde alicuius maleficij, aut ſuperſtitionis occaſio præbeatur.

CAP. XXI.

OBſtetrices, ſi quem interdum pudoris cauſa clàm parentibus nòn indicatis baptizari velint, vt fortaſſe ſcandalum euitetur ab animarum Curatoribus moneantur, vt puerum quacunque hora ad cuiuslibet parochiæ Curatorem deferant, qui eum præſcripto noſtro baptizare nòn remorabitur.

CAP. XXII.

SVper omnia meminerint animarum Curatores, dum per eos baptizandi huiuſmodi munus, vel in Eccleſia publicè, vel ex aliqua fortè neceſſitate exerceetur in priuata Domo, mulierum abuſus, atque ſuperſtitiones præcauere: idquè maximè decet, ne vituperetur miniſterium noſtrum.

CAP. XXIII.

ANimarum Curator, vel alius ſacerdos baptizans, parentes, & nutrices infantulorum ſi præſentes ſint, ſin autem obſtetricibus præcipiăt, vt ipſis referant, & admoneant ſub pœna excommunicationis nè eos ſecum in Cubili vſque ad annum teneant, ſed in Cunabulis propter periculum oppreſſionis.

CAP. XXIIII.

ANimarum Curator cum perquiret, an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget, vt ſibi conſtet, an baptiſmi forma rectè adhibita ſit, an verò ſecus: quamobrem oporteat infantem à ſe baptizari.

CAP. XXV.

MOneant animarum Curatores puerperas, vt cumprimum poſt partum domo exierint, mox ad Eccleſiam Deo acturæ gratias accedant, vbi benedictionem ab animarum Curatore ſuſcipiant: nec ſtatum dierum numerum in veteri lege

obſerua-

obſeruatum ſuperſtitioſè cuſtodiant.

CAP. XXVI.

MOneantur omnes in Eccleſijs, vt nullo pacto inter ſe compatres, & commatres appellent, niſi veram compaternitatem per baptiſmũ, vel confirmationem inter ſe ipſos, vt ſupra dictum eſt, contraxerint iuxta declarationem fel. recor. Pij V.

QVÆ AD CONFIRMATIONIS

Sacramentum pertinent.

CAPVT I.

CVM omnes Chriſtifideles per manuum impoſitionem Epiſcoporũ Spiritum Sanctum poſt baptiſmũ accipere debeant, vt Cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatetur: cumque in confirmatione ad gratiam augmentum præſtetur: ſitque in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuiſibiles hoſtes, & pericula gradiendum: nos ad pugnam confirmari neceſſe erit. Nam licet continuò tranſituris ſufficiat, regenerationis ſpiritualis lauacrum, viuentibus tamen confirmationis erunt auxilia neceſſaria, quæ nos armant ad vitæ huius agones, præliaque quotidiana.

CAP.

CAP. II.

NE igitur Epiſcopo, qui ſibi concreditarum ouium ſaluti, quantum in Domino valuerit conſulere tenetur, imputari aliquando contingat fidelis Populi iactura; ſtatuimus, vt noſtræ huius Ciuitatis animarum Curatores diebus peractis ſacratiſſimæ Pentecoſtes, omni, qua poterunt diligentia commiſſas ſibi plebes viſitent perquirentes an aliqui ſint, qui ſacramento confirmationis indigeant. Septennio non minores, niſi aliud Epiſcopo videtur ob aliquam cauſam iuſtam, baptizati, non alienæ iuriſdictionis; & propterea quo tempore Epiſcopus hoc ſacramentum miniſtrat, populum ea ipſa de re animarum Curatores præmonere iubeant, eorúmque nomina deſcribant, vt illos confirmare poſſimus.

CAP. III.

ADmoneant præterea præfecti curati adultos, vt piè ad tam ſalubre ſacramentum accedant ieiuni, (niſi aliud neceſſitas expoſtulauerit) & ſua peccata confeſſi illud animaduertentes imprimis, ne patrini admittantur, qui eundem in baptiſmo ſuſceperint, quiuè eius pater ſit, vel coniux, quiquè dominicam orationem, ſalutationem Angelicam, & fidei Symbolum neſciant, neque etiam non confirmati, infames, excommunicati, publicè concubinarij, & criminoſi, neque ſint annis quatuordecim minores.

CAP. IIII.

VNus vnum confirmandum, fœminæ fœminas, maſculi maſculos teneant, non tamen natu maiores ob decentiam quandam, quæ non immeritò in hoc videtur adhibenda.

CAP. V.

CVrati confirmandis quibuſcumque ſchedulam, cum ipſorum, & ſuſcipientium nominibus tribuant ſua manu ſignatam, cum qua coram Epiſcopo ſe præſentent, eamq; alicui aſſiſtentium Pontifici traditam confirmentur.

CAP. VI.

POſtremò animarum Curatores ſchedulis huiuſmodi receptis confirmatorum nomina, patrinorumque diligenter in Codice deſcribant, cũ Epiſcopi, ipſius anni, menſis, diei que annotatione: ſed maximè caueant, quantum in eis eſt, ne quid tumultuariè, neque quid inordinatum in Eccleſia fiat. Chriſmatorum frontes Goſſipio ab animarum Curatore, ſeu alio ſacerdote ex ipſius licentia tergantur, lauenturque poſteà, & aqua in ſacrario proijciatur Goſſipio combuſto.

CAP. VII.

IIdem animarum Curatores plebes ſuas frequenter exhortentur, vt vnuſquiſque familiæ pater, tàm eos qui in agro ſunt, quàm, qui domi ſuæ commorantur ab Epiſcopo confirmari curentur. Quod ſi id facere contempſerint grauiſſimè peccabunt:

cabunt: ſi qui verò fuerint in aliqua parochia infirmi, qui confirmationis ſacramentum non ſuſceperint, de ipſorumque morte timeatur ab animarum Curatoribus Epiſcopo renuntietur, vt ad ipſos Epiſcopus accedens, & eos paterna charitate inuiſat, conſoletur, & chriſmate confirmet.

CAP. VIII.

SVſceptores in ſacramento confirmationis, neq; ijs, quos ſuſceperint, neque eorum parentibus, quicquam omnino largiantur, ne id cuique, quod aliquando comiſſum eſt iterandi hoc ſacramentum, quod nefas eſt, occaſionem præbeat.

CAP. IX.

DOceant animarum Curatores, quos oportuerit, quæ in huiuſmodi ſacramento contrahatur cognatio ad Sac. Concil. Tridentini præſcriptum, eoſque grauiter errare, qui per negligentiam ſuſcipere confirmationis ſacramentum omiſerint, canoniciſque ſubiacere diſciplinis, vt Concilio Vormacienſi ſancitum eſt.

CAP. X.

SI Epiſcopus minoribus natu, aliqua rationabili de cauſa hoc ſacramẽtum adminiſtrauerit, animarum Curator moneat parentes, aut eos, qui eorum curam gerunt, vt illos, ætate procedente eà de re faciant certiores, ne id ſacramentum aliquo modo iterari contingat.

CAP. XI.

NVlli liceat ex confirmatis, aut ex patrinis ab Eccleſia prius diſcedere, quã Epiſcopus benedictionem præſentibus (vt moris eſt) largiatur: neque hoc quidem animarum Curator denuntiare omittat, vt qui proximè confirmationem ſuſcepturi ſunt pridie illius diei, quo ſuſcipient, caput lauent, alioue modo mundent, capilloſquè ſibi tonderi curent.

CAP. XII.

PRimò Mares in Eccleſia à parte vna: fœminæ ab altera ſint: ſicquè ſeparatim diſtincti genibus flexis, manibus ante pectus iunctis ſuo quique ordine piè, & religiosè orent: imprimiſquè ab omni ſtrepitu, vociferatione, & inani confabulatione caueant: ſed ſilentio ſancto vtantur. Et quod veteris ritus eſt primùm mares, deinde fœminæ confirmentur niſi aliquando aliter fieri Epiſcopus cenſuerit.

CAP. XIII.

QVod antiqui ritus eſt, id ſeruetur, vt compater dextera ſuſcipiat, & teneat, quem in hoc ſacramento miniſtranti Epiſcopo offert: ſi verò qui offertur adulta ætate eſt pedem ſuum ſuper dexterum compatris, qui ipſum offert ponat: id quod non ſine myſterij ſignificatione fit: quam ob cauſam, & qui confirmatur, & patrinus coram Epiſcopo confirmante ſtet.

CAP. XIIII.

Circa librum confirmatorũ idem omnino obſeruetur, quòd proximè de baptiſmi libro præſcripſimus: marium deſcriptio, ſeorſim à fœminarum deſcriptione per alphabetum notetur.

QVÆ AD SANCTISSIMÆ EVCHAriſtiæ Sacramentum pertinent.

CAP. I.

SALVATOR noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad patrem, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, quod ſumi voluit à nobis tanquam ſpiritualem animarum noſtrarũ cibum, quo aleremur, & confortaremur: probantes imprimis noſmetipſos, ne ſi indignè ſumamus, nos nobis iudicium manducare, & bibere contingeret.

CAP. II.

AD ſaluberrimum illum ſacræ Euchariſtiæ frequenter ſumendæ vſum animarum Curatores, & Concionatores item, quàm ſæpiſſimè populum cohortentur, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, atque exemplis, & grauiſſimorum patrum vocibus, & vberrima hoc ipſo de genere Cathechiſ-

mi Romani doctrina, & ſententia deniquè Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem, fideles in ſingulis miſſis non ſolũ ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare.

CAP. III.

ANimarum Curatores moneant quemlibet fidelem quanta cordis contritione, quanta corporis caſtitate, atquè omni puritate ad percipiendum diuinum hoc ſacramentum accedere debet, memor tremendæ illius ſententiæ. Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Et communicaturi non ſtatim poſt peccatorum confeſſionem communicent, ſed per aliquod tempus orationibus ſatisfaciant, & bonis operibus (ſi id fieri commode poſſit) incumbant.

CAP. IIII.

NEmo Paſchæ tempore differat Euchariſtiæ ſumptionem: eorum nomina, qui non communicarint animarum Curator ad ſex dies poſt octauam Paſchæ ſcripto deferat ad Epiſcopum, & fracti præcepti cauſas, quas extra confeſſionem cognouerit, narret: vt nos in eos iuxta Canonicas ſanctiones animaduertamus.

Quod vt facilius animarum curator præſtare poſſit, primò librum conficiat de animarum ſtatu, quæ eius Curæ commiſſæ ſunt, mox Paſchæ tem-

pore

pore cùm fidelibus ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrat, ſchedulam à ſingulis exigat, quam à confeſſarijs in Pœnitentiæ teſtimonium obtinuerunt, inde excerpta nomina, & cognomina in librum referat, iuxta ſeriem litterarum, conferatque cum libro, quem antea confecerat, pro animarum ſibi concreditarum ratione. Hoc enim modo facile reperiet, qui Euchariſtiam ſuſceperint, & qui ad pœnitentiæ ſacramentum accedere recuſarint.

CAP. V.

SI quis damnabiliter (quod Deus auertat) in feſtiuitate Paſchæ abſque ſacramentali confeſſione, & contra præceptum confeſſarij ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ſumere præſumpſerit, ſit ipſo facto excommunicatus, & alijs pœnis arbitratu noſtro puniatur.

CAP. VI.

QVicumque in Paſcha à Diœceſi abſuerit, is reuerſus, ſe eo tempore ſacram communionem ſumpſiſſe teſtatum faciat ſcripto ſacerdotis à quo ſumpſerit. Quod teſtimonij ſcriptum manu, vel ſigillo ordinarij, aut eius cui id curæ ille dederit munitum ſit: alioquin vt Eccleſiæ præcepto pareat, confeſſus in propria parochiali Eccleſia ſacram Euchariſtiam ſuſcipiat, quod niſi fecerit, prout iuris eſt, pœna afficiatur.

CAP. VII.

AD communicantium purificationum vaſa adhibita, ne alterius rei vſui ſint: eaquè proptereà in ſacriſtia ſeruentur. Neque hoc vas ſit Calix conſecratus, vel aliud vas, quod ad ſacri Calicis formam factum ſit.

CAP. VIII.

PVblicè Concubinarij, ac fœneratores, blaſphemiquè, & alij eiuſmodi facinoroſi homines ſemel ad pœnitentiam, & Communionem admiſſi, ſi poſteà eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad ſacram Communionem ne recipiantur: niſi poſteà eos vitam, & mores re ipſa emendaſſe, animarum Curatores perſpexerint ſuper hoc autem animarum Curatorum conſcientia plurimum oneratur.

CAP. IX.

HOc inſtitutum, quod antiquiſſimi ritus eſt, ſacerdos religioſè ſeruet, vt intra miſſarum ſolemnia, poſtquàm ſacratiſſimum ſanguinem ipſe ſumpſerit fidelibus ſacram Communionem ſumpturis miniſtret. Nec tamē illam miniſtrare vetitū ſit, ſi quando occaſio tulerit, vt quis alio tempore quàm in Miſſæ ſacrificio ſumpturus ſit. Cúm autē peracto Miſſæ ſacrificio ſtatim eam miniſtret, veſtibus ſacerdotalibus, quibus in Miſſa vſus eſt indutus miniſtret, caſula tamen depoſita, & manipulo: ſi verò non ſtatim, ſed alio tempore, quàm

in

Miſſæ ſacrificio, tunc ſuperpelliceo, ſtolaque al
a vtatur: Epiſcopus verò pluuiali indutus ſit,
uando illam non in Miſſæ ſacrificio miniſtrabit.

C A P. X.

IS ordo prætereà adhibeatur, vt primò Eccleſiaſticis hominibus, ſuperpelliceo indutis, ſi verò ſacerdos quis eſt, ſtola etiam, quæ ſignum Crucis, ad antiqui canonis præſcriptum in pectoe exhibeat: deinde laicis maribus, tum fœminis ſacra communio miniſtretur loco diſtincto. Et quod, & Toletano quarto, & Bracarenſi primo Concilijs ſancitum eſt id de ſacra adminiſtranda communione religiosè ſeruetur, vt Diaconis ſcilicet, & Clericis ad Altare, & in Choro illa præbeatur, in ſacris quidem conſtitutis in ſuperiore altaris gradu, Clericis verò in inferiori; populo autem loco à Choro, altariuè aliquanto remotiori.

C A P. XI.

SAcerdos ſacram communionem miniſtraturus, antequam præbeat, vnicuique, cui miniſtrabit, ſigillatim illa verba, pronunciet. Corpus Domini Noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animā tuam in vitam æternam: & qui ſuſcepturus eſt prius reſpondeat, Amen: quod antea ab ipſo ſacerdote præmoneatur: id quod antiquiſſimi inſtituti eſt, nec ſine Myſterij ſignificatione fieri ſanctiſſimus Ambroſius ſcribit.

CAP.

CAP. XII.

CVm ſacra Communio diebus præſertim ſollemnibus, aut frequentiori fidelium multitudini miniſtratur: ex veteri inſtituto, Antiphona, Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum: & Pſal. item, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. facta prius in choro generali confeſſione, & à ſacerdote miniſtrante abſolutione, Hymnus, Pange lingua glorioſi, & Pſalmus, Benedicam Dominum in omni tempore, modulatẽ canatur, & alia in rituali libro præſcripta, aut alia ab Epiſcopo præſcribenda à Clero canantur, cum id per illius frequentiam fieri poteſt. Poſtquám autem ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramẽtum ſumpſerint fideles, ſacerdos ipſos benedicat, & inſtruat, vt Deo gratias pro tanto beneficio agant.

CAP. XIII.

PRæcipimus, & mandámus ne occaſione ſacræ Communionis, etiam in Paſcha miniſtratæ, vel miniſtrandæ, eleemoſina, peluicula, aut vaſculo expoſito, vlloue alio modo directè, vel indirectè quæritetur.

CAP. XIIII.

IN ſacratiſſimæ Euchariſtiæ adminiſtratione nihil ſordidum ſit, vel indecens, vt tantum decet ſacramentum, ſed ſint omnia munda: caueatque ſacerdos, eam miniſtrans, vt diligenter animaduertat,

uertat, ne qua particula inter miniſtrandum excidat: ſed è pixide, ſeù Calice eam miniſtret: linteamina communicantium mento ſupponat ad fugiendum pericula, quæ poſſunt accidere.

CAP. XV.

ADmoneantur Regulares omnes, vt in ſollēnitate Paſchali nempè à Dominica palmarũ vſquè ad Dominicam in Albis incluſiuè, vel à Cõmunione miniſtranda abſtineant, vel communicātes in eorum Eccleſijs omnino admoneant præcepto Eccleſiæ non ſatisfacturos, niſi in Cathedrali Eccleſia à proprio præfecto curato ſumpſerint, & infra ſtatutum tempus, vel à nobis, vel à ſuo proprio Curato licentiam obtinuerint.

CAP. XVI.

ADmoneant Præfecti Curati omnes vtriuſque ſexus Chriſti fideles, cùm ad annos diſcretionis peruenerint (quod prudentis Confeſſarij iudicio relinquimus, qui ſpirituales filios inſtruere antèa debebit) ſaltem ſemel in Anno in Die Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti in Eccleſia Cathedrali communicent.

CAP. XVII.

ADmoneantur tamen frequentius hoc facere: maximè in ſollemnioribus feſtiuitatibus nempè Natiuitatis Domini, Pētecoſtès, Corporis Domini, ſanctiſſimæ Trinitatis, Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ, & omnium ſanctorum: præſer-

tim quoque Orationis quadraginta horarum tempore: & quoad eius fieri poterit, inducantur etiam fideles ad tàm ſalubre ſacramentum ſuſcipiēdum ſemper, cum aliquod concedi, ac promulgari Iubilæum contigerit, ne Dei Clementiſſimi gratiam, ac ſalutem noſtram eodem tempore negligere videamur.

CAP. XVIII.

ITem admoneant Præfecti Curati fideles, vt in probabili mortis periculo conſtituti, putà longius nauigaturi, Mulieres prægnantes, partuique vicinæ, & eæ præſertim, quæ alia vice non pepererint, iter per loca facturi ob latronū, viarumq; graſſatorum inſidias, viaticum hoc accipere non omittant.

CAP. XIX.

MOniales Tertiariæ, ſiue de pœnitentia ſingulis Menſibus cœleſte pabulū, quo ſalutari ſe præſidio muniant, accipere ne omittant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter ſuperādas, quod ſcrupuloſis, ac negligentibus confeſſarij earum frequentius agere perſuadeant, cum illis medicinam, iſtis autem recte viuendi ſtudium, vt Chriſtianos decet, Deus per Euchariſtiæ ſacramentum elargiatur.

CAP. XX.

POſtremó coniuges erunt admonendi, vt anteaquàm contrahant, vel triduò ſaltem ante

Matri-

Matrimonij conſumationem iuxta laudabilem noſtræ Eccleſiæ conſuetudinem cõmunicent: idemq; faciant confratres ad ſuarum ſodalitatum præſcriptum, eo tempore, quo ipſis peccatorum ſuorum plenariè à ſummis Romanis Pontificibus remiſſiones indulgentur.

C A P. XXI.

CVm ad Dominicam cœnam fideles conueniunt, ad celebrandam Chriſti Domini Paſſionis Memoriam accedunt: quapropter eo habitu corporis ſe componant, quo proprius tanti Myſterij rationem explicare valeant. Non ergo mares cum armis, plumis, odoribus, vnguentis, non cum indecenti veſte, itemquè mulieres ipſæ non flabella, crines intortos, fucatos vultus, non veſtes diſectas, aut alias vanitates deferant, ſed capite operto, vultu modeſto, & veſte communi vtantur.

C A P. XXII.

ABuſus deniq; ille quorundam tollatur, qui cum raro ſua confiteantur peccata, ſtatim atq; confeſſi fuerint, nulla ferè interiecta mora ad ſacram ſumendam Euchariſtiam, non ea, qua decet reuerentia, ac animi præparatione accedunt, ſed tanquàm obligationis pondus deponere volentes ad Dominicam Menſam quodammodo currant, non aduertentes maximam irrogari iniuriam ſanctiſſimo, ac præcelſo huic ſacramento, & ideo, in- Hoc habet ex[?] cap. III. ante

ter eos imbecilles ſunt,ac infirmi,& dormiunt multi. Hos igitur animarum curatores paterna admoneant Charitate, vt ſe per triduum ſaltem poſt peccatorum peractam confeſſionem,niſi aliud expedire magis videretur, à communione abſtineant, & interim orationibus vacent.

CAP. XXIII.

CVratus de vita, & moribus mendicorum vagantium diligenter inquirat, initaquè aliqua ratione curet omnino, vt ſacro Paſchæ tempore illi communicent.

DE SACROSANCTAE EVCHARISTIAE Cuſtodia & de eiuſdem delatione ad Infirmos.

CAPVT I.

TABERNACVLVM ligneum deauratum, in quo ſanctiſſima Euchariſtia conſeruatur, panno ſerico, rubri coloris intrinſecus circumueſtitum vndiquè ſit, conopœo etiam decenti pro Eccleſiarum facultate lociq́ue dignitate contectum, ac bene prætereà, tutòquè clauſum, atque ita quoque aptatum, vt inde ſanctiſſimum Sacramentum commodè depromi poſſit, neque ſuper

Altare propterea aſcendi neceſſe ſit. Vacuum etiam ſit à reliquijs, vaſculis oleorum ſacrorum, atque inani alio vaſe, vt omnino ſacra Euchariſtia cum ſuo vaſe in eo duntaxat conſeruetur: aliud præterea nihil.

CAP. II.

TAbernaculum autem, quod agendis proceſſionibus, vel exponendæ ſacræ Hoſtiæ vſui eſt, pellucido vitro, vel Chriſtallo vndiquè circumdatum ſit: lunulamquè forma inſtuctionibus ſupellectilis Eccleſiæ præſcripta huiuſmodi habeat, vt aperiri commodè poſſit, & fragmenta colligi, ſi quæ fortè ibi relicta ſunt, ipſa tota ex argento conſtet.

CAP. III.

IN quo tabernaculo pixis, ex Argento reconſita, & in ea corporali mundiſſimo ſuppoſito, & ſacculo ſericeo ornatiſſimo cooperta, vt ad infirmos deferatur, & cuſtodiatur, non ſolū laudando, ſed approbando, laudabilem, & honorificam conſuetudinem Cathedralis Eccleſiæ, in qua continuè ante prædictum Sanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum tres lampades ardentes dependent: in Dominicis verò, & feſtis diebus quinque, & in ſollemnibus diebus feſtis ſeptem, oleum autem de Oliuis puriſſimum, ac lucidum parent omnino ſacriſtæ ad concinnandas lampades prædictas ante Dominum. & Præfecti Curati, ſiuè ſacriſtæ,

& qui

& qui ſanctiſſimæ Euchariſtiæ in ſuis Eccleſijs adminiſtrationem habent ſaltem infra octo dies Euchariſtiam ibidem ſeruatam ſumăt,& nouam ſemper parent.

C A P. IIII.

CVm verò ſanctiſſima Euchariſtia ad ægrotos omni reuerentia, omniq́ue Religioſi cultus ſtudio, atque honorificè quoad eius fieri poteſt, afferenda illa ſit, neque id noctu commodè fieri queat, vetitum propterea ſit ne noctu afferatur, niſi ægri mortis periculum inſtet.

C A P. V.

HÆc autem omnino à Præfectis Curatis obſeruentur in delatione prædicti ſanctiſſimi Sacramenti, primò, vt ſacramentū ab Eccleſia non efferatur, niſi ſacerdos, qui ſacram pixidem laturus eſt habeat ex ſcripto teſtimonium, ægrotum, ad quem deferenda eſt Euchariſtia fuiſſe confeſſum, Præfectus Curatus deinde mox illam ægroto allaturus ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali ſit indutus, debita lumina accendantur, quæ iuxta Eccleſiæ, & ſodalitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti deferri poterunt: adhibeatur tintinnabulum, Vmbella, vaſculum decenter ornatum, & panno ſerico cō tectum: ſi baculos Vmbellæ ſæculares deferunt, præcedant ſemper ſacerdotem duo ſaltem Clerici ſuperpelliceis induti, alternis vocibus pſallentes Hymnos, & Pſalmos pœnitentiales: & cantica

ſpiritua-

ſpiritualia intima animi pietate ſimul cum eo, ſed alternatim pronuntient, atque alij item religioſè orent. Particulæ tot deferantur, quot, & communicandis ægrotis ſatis eſſe poſſint, & reliqua ſal tem vna remaneat: ne Clericis ad Eccleſiam redeuntibus Populus inane vaſculum adoret: ſi autem ſine Euchariſtia reuerti contigerit, ſciat Curatus non debere ſe in Eccleſiam cum apparenti vaſculo reuerti, ſed abſque ſuperpelliceo, & ſtola, & Pluuiali, & Vmbella, atque ſine Tintinnabulo,& luminaribus extinctis redeat.

CAP. VI.

PRæfectus Curatus, hæc præmoneat, vt ægrotantis Cubiculum ab omni ſorde, omniquè inquinamento purgetur: & amota omni re profana, pio apparatu, & ſacris imaginibus, vbi poteſt exornetur: tum præterea Menſa, Mappa nitida, puraquè conſtrata, cruce, aliaque effigie ſacra Candelabris, & candelis, cereiſuè ſaltem binis inſtructa apparetur, in qua ſuper corporali pixis cum ſanctiſſimo ipſo Sacramento collocari poſſit; ſit etiam vas vitreum ad ablutionis vſum: Quæ omnia vt ab ijs, qui ægroti curam habent parentur cura ſit imprimis Confratrum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Apud eos verò, qui pro eorum egeſtate, inopiaq; id præſtare non poterunt, ipſi ſodales apparent.

CAP.

CAP. VII.

DEinde idem Curatus paulò antè, quàm ſacram Euchariſtiam allaturus eſt, certis campanæ percuſſionibus Confratres ſanctiſſimi Sacramenti, & Clericos, & reliquos fideles euocari mandet, qui illud pià veneratione proſequantur. Poſt. ipſe, vbi manus lauerit ad altare genibus flexis, paululũ tacitus religioſè oret. Tùm ſuperpelliceo, ſtola, & plouiali ſe induat. Sacerdotes verò cæteri, Clericiuè, qui comitantur ſuperpelliceum adhibeant, & ſi Canonici ſint Almutiam, vel caputium, vt illis in Choro mos eſt, reliqui fideles bini proſequantur, capite aperto, cruce præcedente, & tintinnabulum mittat per Prarochias, in eaquè proceſſione ſint laternæ deauratæ, vt poſſit ſemper, in eis lumen ſeruari, quãdo cætera fuerint extincta, & quamplurimis candelis accenſis, ac primo Laici viri, in quibus ſcholares ſanctiſſimi Sacramenti præcedant, poſtremò fœminæ omnes præſertim Eccleſiaſtici homines Hymnos, & Pſalmos pœnitentiales, aliaſuè Orationes recitantes.

CAP. VIII.

CVm quis ſacerdoti ſanctiſſimi corporis Domini ſacramentũ ad ægros deferenti, aut cũ eodem inde redeunti obuiã fit, dùm vel equo, vel curru, vel iumento vehitur, vbi primùm illum id ferentem viderit, inde ſtatim deſcendat, humiquè

flexis

lexis genibus tamdiu in adoratione permaneat, quoad ille cum ſacramento tranſierit: at verò illi, qui fuerint in Plateis, aut alibi inuenti, dum ſacra Euchariſtia deportatur, pro Chriſtianæ Religionis cultu domum vſque eius, cui miniſtranda eſt, & ad Eccleſiam quoque, quo reditur pia venerat ione proſequi, & comitari omnino ſtudeant, niſi neceſſitate, cauſaue vrgenti vehementer impediantur.

C A P. IX.

QVod verò vt cuncti fideles ardentiori pietate id præſtent, vniuerſis, & ſingulis, quoties Officij peregerint quadraginta dierum indulgentiam in Domino nos elargimur. Familia verò quæ domi habitat, vbi ægrotus eſt Sanctiſſimo ſacramento ad Eccleſiam vſque, vel ſaltem extra ianuæ fines obuiam procedat, cum cereis accenſis, & omni alio interiore, & exteriore pietatis cultu, depoſitiſque planè armis.

C A P. X.

SAcra communio ad ægrotum non deferatur, niſi ad eum, qui verè illam ſumpturus eſt: ſi verò aliquando ſit, vt dum ad eum curatus venit, morbiuè ita affectum illum inueniat, vt eam tunc miniſtrare ritè nequeat, collocata pixide ſuper corporale in menſa ad eum vſum apparata, paululum moretur, dum genibus flexis, vnà cum cæteris, qui adſunt, nominatim autem cum

ægroto ipſo ſanctè oret: ac poſtea receſſurus Euchariſtia pixide incluſa eidem benedicat. Quòd ſi ægrotus ipſe id vehementer exoptat, ſacramentum, aperta etiam pixide, liceat oſtendere adorandum.

CAP. XI.

CVm quis periculosè ægrotans, atque etiam penè in extremo ſpiritu Sanctiſſimam Euchariſtiã & ſacramentum extremæ vnctionis ſuſcepit, ſi poſtea aliquot dies ſuperſtes ſacram Communionem ſibi miniſtrari petit, eius pio, religioſoque deſiderio Curatus nè deſit, modo nè pro viatico iterum in eodem morbo præbeat: cum id à ſanctis patribus olim fieri conſueuiſſe traditum ſit.

CAP. XII.

ANimarum Curator paratam ſemper habeat Euchariſtiam, vt cum aliquis infirmatus fuerit illum ſtatim communicet, nè ſine viatico decedat: ieiuno tamen, & de manè, niſi aliud neceſſitas ſuaſerit ſacramentum hoc miniſtretur: hoc enim vniuerſa per Orbem ſeruat Eccleſia, quod nos omni qua poſſumus diligentia cuſtodire debemus: id autem aeris ingruente tempeſtate niſi mortis periculum ægrotãtibus immineat, in aliud tempus differatur.

CAP. XIII.

DOmum ægroti ingreſſus animarum Curator pixidem ſuper menſam, vt ſupra imponat, con-

conſuetas preces dicat iuxta ritum Romanum, & lauet manus, vt infirmum Chriſti corpore reficiat, qui ante pectus paratum habeat linteum mento ſupponendum, & poſt communionem digitos abluat, & ablutionem ſumat, aut infirmo porrigat vel alicui ſacerdoti: interea ſacerdotes aſtantes, & laici omnes de more orationem dominicam, & ſalutationem Angelicam pro infirmi ſalute dicant.

CAP. XIIII.

PRæcipimus, & mandamus Curatis Præfectis, & alijs ſacerdotibus, vt ſemper eis ad Eccleſiam redeuntibus benedicant populo, qui aſſociauit ſacramentum Euchariſtiæ, indulgentiaſq; promulgent Apoſtolicas Confratribus deuotè comitantibus ſacram Euchariſtiam conceſſas, & à nobis etiam quadraginta dierum conceſſas aſſecutos fuiſſe, niſi ipſi impedimentum poſuerint.

CAP. XV.

REis mortis ſupplicio damnatis, ſi oſtenderint euidentia pœnitentiæ ſigna, Euchariſtiæ Sacramentum non eſt denegãdum, quos animarum Curatores moneant ad tolerandum ſupplicium, eoſque doceant, ſi patienter ſubibunt mortem, ad peccatorum remiſſionem eis profuturum: quo autem die pro viatico Sanctiſſimum Corpus Domini reus ſumpſit Chriſto Redemptori, qui pro illius etiam anima ſanguinem profudit in ara cru-

L 2 cis

cis, à pijs iudicibus, magiſtratibuſque illo ipſo ſanguine redemptis tribuatur, vt nè eo die ſupplicio afficiantur.

DE PROCESSIONE SANCTISSIMI *Eucharistiæ Sacramenti.*

CAP. I.

PIVM, ac ſumma religione plenum in Dei Eccleſiam introductum illum morem diligentiſſimè obſeruari iubemus, vt quotannis præcelſum hoc venerabile, ac diuinum Sacramentum peculiari ipſius feſto die, ac etiam quandocunque pro aliqua re graui publica neceſſitas imminebit, in Ciuitate, & Diœceſi noſtris ſingulari veneratione reuerenter, & honorificè in proceſſionibus per uias, & loca publica circumferatur, ac etiam, vt moris eſt per totam octauam, & tertiam quamlibet Dominicam cuiuſquè menſis per Eccleſiam Cathedralem.

CAP. II.

PRæfecti Curati pridie eius diei, quo ſolemnis proceſſio fiet, ſuas Parochias viſitent, ſi quid in Plateis, ac vijs lætitiæ gratia indecẽs, impurum, profanumquè repræſentetur, vanas hiſtorias, fabulaſuè, quæ ad riſum potius, quàm ad deuotio-

nem populo ſunt omnino prohibeant.

CAP. III.

VIarum Curatores admoneantur, vt operam dent ſolum ſuis locis æqualiter ſterni, nè in tanti ſacramenti delatione incommodum ferenti ſit, idquè per totam Ciuitatem fieri deberet, cùm ad infirmos quotidie ſacramentum hoc deferatur.

CAP. IIII.

ALtare, ex quo geſtandum ſacramentum ſuſcipitur in Eccleſia quàm magnificè, ac ſplẽdidè multis luminibus, & lampadibus exornetur: Miniſtriquè Pluuialibus, caſulis, & dalmaticis, ante ipſius Miſſæ celebrationem induantur, vt Sacramento huic primò deſeruiant, & poſtèa in proceſſionibus ſanctiſſimum Sacramentum aſſocient.

CAP. V.

COnfratres ex ſuorum ſuperiorum præſcripto ſodalitatis veſtibus induti, omnes ſuo loco, & tempore procedant. Laici ſimiliter, ac Mulieres ita ſubſequantur, vt proceſſionis ordo ipſorum cauſa non perturbetur.

CAP. VI.

IN inceſſu iuxta laudabilem noſtræ Ciuitatis morem omnes, tàm Clerici, quám Laici capite detecto incedant, & à ſermonibus, ac alijs abſtineant, quæ parum pij, ac religioſi animi ſigna poterunt indicare. Clerici verò Hymnum

num canant, Pange lingua glorioſi, item Pſalmos, qui ſequuntur in officio Diei.

CAP. VII.

ADmoneantur omnes, quicunque ij ſint, ſiuè viri, ſiuè mulieres, vt eo temporis momento, quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ante ipſorum Domum incedit, ad inferiora deſcendant, & ex imo loco flexis genibus humiliter illud adorent, ac venerentur.

CAP. VIII.

INfra octauam Corporis Chriſti Altare Maius in Cathedrali quàm magnificentiſſimè exornetur, in quo ſingulis diebus eodem vaſe, quo per Vrbem delata fuit Sanctiſſima Euchariſtia de manè collocetur, vt fideli populo in conſpicuo ſit, quatuor adhibitis cuſtodibus, duobus nempè ſacerdotibus, ac totidem Clericis, qui luminaria quotidie, nè fortè extinguātur, neuè quid aliud aduerſi contingat, ſollicitè curabunt. Antequam Veſperæ inchoentur per Eccleſiam de more geſtetur: quibus tamen abſolutis ligneo tabernaculo reponatur.

CAP. IX.

VT Oratio, quàm vocant quadraginta horarum coram Sanctiſſimo Sacramento quò frequentiſſimus populus conuenire ſolet, qua pietate, ac religione inſtituta eſt eadem retineatur, & propagetur, decernimus, vt Sacramentum in

Altari

Altari decenter ornato collocetur, quo tempore, vel Litaniæ cantentur, vel ſi temporis ratio requirát Miſſa celebretur, neque tamen extra ambitum templi ſacra Euchariſtia deferatur, niſi ſecus videatur Epiſcopo. Ad hanc orationem Mares noctu, interdiu fœminæ conueniant, nec ſine Epiſcopi permiſſu vlla in Eccleſia extra ordinem conſtituatur.

DE IIS, QVÆ PERTINENT AD *Sanctiſsimum Miſſæ Sacrificium.*

CAP. I.

VT Sanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, inqua illa Deo Patri placens Hoſtia Ieſus Chriſtus in odorem ſuauitatis offertur ſingulari religione, ac pietate, & á ſacerdotibus celebretur, & á fideli populo colatur. Hæc ſtatuimus, vt ſacerdotes celebraturi curent corda Domino præparare, ſeſeque colligere in loco quoad fieri poterit, ab aliorum frequentia ſeparato, ibique Deum deprecentur, vt ſibi ſpiritum deuotionis elargiatur, orationeſque ea de re ab Ambroſio, & Bonauentura, & Thoma Aquinate Sanctiſſimis Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus conſcriptas pro temporis opportunitate perlegant: euagationum, colloquiorumq;

ſeu

ſeu confabulationum, quæ ad rem non pertinent, occaſiones fugiant: & atequàm ad Miſſæ ſacrificium peragendum accedant, ij totam Miſſam perlegant, & ſingulas partes ita præparatas, & notatas habeant, vt celebrantes, neque errent, neque hæreant: noui miſſalis Regulæ, tùm circa celebrationem ipſam, tùm etiam quoad ſacrarum veſtium colores quantum fieri poteſt ſeruentur.

CAP. II.

NVllus ſacerdos vagus, ignotus, ac peregrinus ad ſacrũ faciẽdũ admittatur ſine ſui ordinarij cõmendatitijs litteris, quæ recentes adeò ſint, vt de eius vita, & moribus ſuſpicionẽ facere non poſſint: ac præterea Celebrandi facultate vel à nobis, vel à Vicario noſtro Generali in ſcriptis impetrata: qui contrafecerit tàm celebrans, quàm celebrantẽ admittens Epiſcopi arbitratu puniatur. Sacerdotes autem, qui publicè, ac notoriè criminoſi fuerint à Miſſæ celebratione abſtinere iubemus, donec ſceleris maculam, vitæ emendatione eluerint, ac purgarint.

CAP. III.

LAudabilem Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem cuſtodiri volumus, vt celebraturi omnes ante Miſſæ celebrationem cõfiteantur, quod ſi vel neceſſitas vrgeat, vel confeſſarij facultas non adſit, conterant ſaltem, antequàm ad Altare accedant, & Miſſa peracta primo quoque tempore confi-

teantur

teantur, intentionem diſcutiant, ne ex conſuetudine, neuè ex auaritia, hoc eſt ob lucrum temporale miſſam celebrent: generalem contritionem habeat vnuſquiſque ſuper omiſſis, quæ facere debuit, potuit, & non fecit, commiſſis, quæ facere non debuit, conſuetis, & ſæpè confeſſis, puram, & veram confeſſionem faciat, notabilium, communium, generalium, ignoratorum criminum cordis, oris, & operis.

CAP. IIII.

IN Oratorio ea de re in Eccleſiæ noſtræ ſacriſtia conficiendo, alijſuè in locis ſegregatis confiteantur, & antequàm ſacras veſtes celebraturi ſe induant, Deo ſe deuotè commendent, actualemquè deuotionem habere in Miſſa diligentiſſimè curent, vt tanti Myſterij fructum colligant.

CAP. V.

SAcerdos celebraturus matutinas horas, & laudes diei prius recitet, mox ſe ab omni alia cogitatione colligat, & tanti Myſterij pondus, & altitudinem meditetur. Hinc ſacris veſtibus indutus conſuetis orationibus perlectis, nec ipſe confabuletur, nec alijs loquentibus aures porrigat, ſed deuotè, & cum ſilentio ſtet, vel oret: & cum tempus aderit campanula pulſatâ, cum grauitate inde exeat, demiſſis oculis, operto capite: neminem obuiam factum ſalutet, nec ſalutantem, niſi modeſtiſſimo

ſtiſſimo oculorum, aut capitis nutu reſalutet.

CAP. VI.

CElebranti miniſtrare nemo audeat, niſi Clericus, qui in eundo ad Altare talári veſte, & ſuperpelliceo indutus, non conſumpto, aut lacero, mūdas habens manus, in inceſſu compoſitus, cum reuerentia,& timore, detecto capite cum Miſſali,alijsque rebus neceſſarijs ſacerdotem præcedat, ab ipſo ſacerdote non longè, ſed propè vt videatur illum aſſociare. Eidem miniſtrans, oculis non diuagetur, ſed altare, & celebrantem ipſum reſpiciat: cum nemine colloquatur, aut interrogatus reſpondeat, niſi fortè ex cauſa rationabili: munere ſuo reuerenter, ac ea qua decet modeſtia fungatur, certò ſciens, ſe Chriſto in Miſſa, non ſimplici ſacerdoti deſeruire.

CAP. VII.

SAcerdos Biretum, & ſubbiretum etiam ſi geſtet (quo ſine diſpenſatione Apoſtolica in ſacro vti non poteſt) antequàm gradus Altaris aſcendat miniſtro porrigat, qui in clauo iuxta Vrceolorum feneſtellam infixo vtrumque appendat: ille autem altare ingrediens ita ſe componat, vt ex conſtitutione corporis, cordis etiam deuotio eluceat,& piæ mentis affectus.

CAP. VIII.

IN Altari verò, nec ſudariolum, ſed ad Albæ cingulum appenſum habeat, nec aliud id genus

reponatur

reponatur. In cornu Euangelij Miniſter genibus flexis poſt ſacerdotem aſſiſtat, nec patiatur mulieres, aut etiam máres proximè ad ſacerdotem accedere, nè alicuius aſpectu celebrantis oculus, & animus perturbetur.

CAP. IX.

NEmo celebrans aduentu cuiuſcunque perſonæ Miſſam remoretur, aut Miſſam ſemel inchoatam quocunque adueniente, nè repetat, ſed inceptam proſequatur, & celebrantes corona Eccleſiaſtica ſint inſigniti, ſine qua celebrare nè permittantur. In celebrando autem Miſſalis reformati cæremonias ſtudeat integrè obſeruare, neque alias preces præter eas, quæ in Romano Miſſali præſcribuntur adhibeat. Hac de cauſa rubricas ſæpè legat, in quibus defectus Miſſæ deſcribuntur: vt ſi quando (quod abſit) alicuius erroris caſus euenerit, ſciat celebrans quid ſine ſcandalo exequi poſſit.

CAP. X.

PRæcipuam calicis, & corporalis mundificationem celebraturi curent: calicis purificatoria crucem acu pictam habeant in ipſius medio, quæ ad ipſum calicem tergendum tantùm deſeruiant, & velum, quo calix tegitur vnà cum burſa, ſiue corporalis ſacculo, cæteris indumentis reſpondeat. Candelæ in altari accenſæ, cereus, & ampullæ à Clerico præparentur, quæ eiuſmodi ſint,

vt vinum, quod album, & clarum ſit, ab aqua perſpicuè diſtinguatur.

CAP. XI.

OMnem adhibeant diligentiam ſacriſtæ in hoſtiarum confectione, quæ ſint ex ſimila mundiſſima non nimis craſſæ, frequentius autem in hyeme, quàm alijs temporibus, & bis in Hæbdomada conficiantur, & in ligneo vaſculo, & rotundo conſeruentur, hoſtijsquè ipſis pondus aliquod linea tela, ac tenui munitum ſuperponatur.

CAP. XII.

SAcerdos diſcretionem habeat in legẽdo, vt ſcilicet, alios non perturbet, nec nimis depreſsè, vt à circumſtantibus non audiatur, nec nimio clamore, vt ab omnibus per Eccleſiam totam exaudiatur, quod non decet, niſi quando Miſſa decantatur; ſed diſtinctè, ſed canore, ſed deuotè legat, maturus ſit in exequendo, non curioſus in circumſpiciendo, non leuis in ſe mouendo; nec inurbanus in inclinando, non tædioſus in prolungando, neuè nimis feſtinus in terminando, ſed deuotus, circumſpectus, & exemplaris.

CAP. XIII.

CVm eleuatione peracta, ſacra Hoſtia mouenda, vel ſumenda erit, ita moueat, ne illa iterum ſubſtolli videatur. Secreta, quæ vocantur ſecretò etiam pronuntiet. Nunquam memoriter Miſſam legat, aut canat, ne inter celebrandum

aliquis error admittatur; qui in omni parte Miſſæ grauis, in canone grauior, in ipſa verò conſecratione grauiſſimus, & in fine Miſſæ cum ab altari eſt recedendum, nec celebrans, nec miniſter vaſa, linteolos, aut aliud colligat, nec candelas, niſi abſoluto Euangelio, quod poſt benedictionem dicitur, reſtinguat.

C A P. XIIII.

ORnamenta Altarium munda, nitidaquè ſint ea puritate, & munditia, quæ Menſam Domini decet, corporalia præſertim, in quibus ſanctiſſimum Sacramentum collocatur, & purificatoria, quæ calicem Domini tergunt, & purificant.

C A P. XV.

AD ſignum eleuationis corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quod in conuentuali Miſſa, ex laudabili Eccleſiæ noſtræ conſuetudine cum maiori campana dari ſolet, vnuſquiſque vbilibet reperiatur aperto capite, genibuſquè flexis Chriſti Domini ſacratiſſimum corpus adoret, ac veneretur.

C A P. XVI.

PEracto Miſſæ ſacrificio orationes iuxta Miſſale Romanum ſacerdos attentè dicat, excellentiam tanti ſacramenti deuotè meditando, & Deo pro ſuſcepto munere gratias agat. Meminerit etiam ſacerdos, nè poſt Communionem continuò cibum ſumat, nec continuò ſpuat in loco indecenti, nec ſtatim in ſecularibus negotijs ſe immiſceat,

otioſus aliquo pacto ne inueniatur, nec ſine deuota lectione diu permaneat.

DE LOCO CELEBRANDI.

CAPVT I.

IN Oratorijs, Cappellisuè ruralibus, niſi à nobis ex ſcripto impetrata facultate non celebretur. ſuper Altaribus autem ijs, ſub quibus mortuorum cadauera ſunt, Miſſæ ſacrum peragere nemini liceat: quod ſi contra per aliquem factum fuerit arbitratu noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum, ſeuerè punietur. In priuatis verò ædibus, atque etiam publicis, ſcilicet extra Eccleſiam, & Diuino tantum cultui dicata oratoria, & à locorum Epiſcopis deſignata, ac viſitata ſint, in Nauigijs, aut ſub dio Sacroſanctum hoc ſacrificium perfici omnino prohibemus, quamuis extra Miſſæ celebrationem benedictiones permittantur.

CAP. II.

IN Miſſis autem celebrandis is ordo ſeruetur, vt pro Populi Commoditate prima diluculo celebretur; reliquis maturo iam die per ſua interualla diſtributis, poſtrema autem, quoad licet proferatur

tur in vlteriorem lucem, ad meridiem, biniquè, terniuè, eodem tempore è ſacriſtia exeant celebrantes, totidemquè deindè ijs ſuccedant dicto Euangelio, quod initio Miſſæ legitur. Miſſæquè nec ante Auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſa iure permiſſa, celebrentur, ſacriſtæque hæc tota cura committitur. In celebrando autem hæc cautio adhibeatur, nè vnus alterum pertubet. In nocte autem Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, non ante ſeptimam horam.

C A P. III.

Eccleſiaſtica dignitate, aut Canonicatu præditus, ſi in Eccleſia Cathedrali noſtra Miſſas conuentuales pro ratione ipſius, aut dignitatis, aut Canonicatus ad Epiſcopi ex Tridentini Concilij authoritate præſcriptum celebrare contempſerit, vel neglexerit, ab ordinis ſui munere ſuſpendatur, & alijs pœnis mulctetur Epiſcopi arbitratú; cum iſta conſuetudo in reformatis Eccleſijs vbiquè vigeat.

C A P. IIII.

Miſſæ Conuentualis ſacrum pro diei feſti feriæuè ratione, nè in Cathedrali noſtra Eccleſia omittatur. Quod ad Epiſcopalis dignitatis obſeruantiam in Eccleſia inſtitutum eſt, id deinceps ſeruetur, vt quo in Altari Epiſcopus Miſſæ ſacrificium fecit, nè illo die in eodem alius quiuis

ſacer-

ſacerdos faciat, niſi illius conceſſu. Itemquè dum in Eccleſia Miſſæ ſolemne ſacrificium Epiſcopus facit, ne interea ab alio ſacerdote in ea fiat, quoad ille ſacro peracto de more benedixerit, in priuato verò non niſi recitato Euangelio licebit. Quod idem inſtitutum cum Miſſæ conuentuales ab alijs celebrantur, feſtis ſollemnibusque Eccleſiarum diebus vbiquè in vſum introduci iubemus, qui contrafecerit arbitrio noſtro grauiter punietur. Curati Præfecti plebes ſibi commiſſas admoneant, vt omni re poſtpoſita ad benedictionem ſollemnium Miſſarum Epiſcopi accedant, vbi mos eſt indulgentias concedendi, ne deſides tanto beneficio careant.

C A P. V.

EPiſcopo in Eccleſia Cathedrali, & in Ciuitate etiam extra Eccleſiam Cathedralem, Pontificalia munera obeunti, vtpotè conſecranti, vel reconciliandi Eccleſias, cæmeteriauè, aut ordines ſacros, aut confirmationis ſacramentum, aut ſanctiſſimam Euchariſtiam frequenti populo miniſtranti, aut alia huiuſmodi munera Pontificalia exercenti; cum is iuſſerit aſſiſtant, inſeruiant, miniſtrentuè, quicunque ex ijs, qui dignitates obtinent, & de Capitulo, ac reliquo Eccleſiæ Clero ſunt, qui contrafecerint, pœnis arbitrarijs plectentur.

CAP. VI.

PRæfecti Curati, ac Concionatores hortentur fideles, vt ſinguli attentè, & deuotè tanto Miſſæ ſacrificio aſſiſtant, & integrum illud audiant, & in omni eius parte genibus flexis ſint, præter quam cum Euangelium pronuntiatur, quo tempore ſtent omnes: ac nè mulieribus tunc ſedere liceat. Nè verò quis, vel vir, vel mulier gradibus Altaris hæreat, aut propè Altare ſit, dum ſacrificium fit: ideo ſacerdos celebraturus hærentes inde ſe longius abduci iubeat, quo celebrante, hoc miniſtrans Clericus præſtet.

CAP. VII.

QVod mundana vanitas ſub pietatis prætextu in Dei Eccleſiam introduxit, vt Virgines innuptæ ad Miſſæ ſacrificium nunquàm, aut rariſſimè conueniant, & fœminæ poſt obitum Maritorum, vel filiorum, vel parentum diutiſſimè in viduitatis ſquallore iacentes nunquàm ferè Dominicis, & feſtis diebus, ex præcepto Eccleſiæ rei Diuinæ interſint: vt à noſtra hac Ciuitate & Diœceſi tollatur, ſtatuimus, nè virgines publicæ honeſtatis pudor, nec reliquas coniugum, aut propinquorum obitus impediat, quominus huic præcepto ſatisfaciant, nec vlla in ea re valeat cuiuſuis conſuetudinis excuſatio. Patres verò familias, & Domini filios & famulos ſaltem Dominicis, feſtiſquè diebus Miſſæ ſacrificio iubeant intereſſe.

CAP. VIII.

IN Miſſis, quæ nouellæ dicuntur, nihil prorſus accipiatur: liceat tamen illas celebrantibus, à Conſanguineis alijs quibuſcunque extra Eccleſiam religiosè, ſponteque oblata, iuxta Regionis morem in Domino accipere, in quibus choreæ, commeſſationes, aliaque huiuſmodi tollantur, religioſa tamen conuiuia non prohibemus.

CAP. IX.

IN die ſabbathi (dummodo diei feſtiuitas non impediat) ſemper Miſſa de Beatiſſima Virgine Maria celebretur, aut ſaltem eius commemoratio, & in omnibus ſabbathis poſt completorium cantentur Litaniæ dictæ glorioſæ Virginis, & Salue Regina cum proceſſione iuxta ordinem à nobis præſcriptum, ſimiliter etiam Litaniæ Sanctiſſimi Nominis Ieſu, omnibus ſextis ferijs Martij. Sabbatho Sancto tám ſecularium, quàm regularium Eccleſiarum campanæ ſanctæ ante huius Cathedralis Eccleſiæ ſignum, non pulſentur.

CAP. X.

NVllus ad nouæ Miſſæ celebrationem admittatur, niſi prius à nobis, vel à Cæremoniarum magiſtro, vel per alium à nobis ad id deputatum fuerit examinatus, vtrum ſit in cæremonijs neceſſarijs inſtructus, noritque alia, quæ in Miſſæ celebratione requiruntur, & contrafacientes prædi-

ctis

ctis ab altaris miniſterio per ſex menſes arbitratu noſtro ſuſpendantur.

CAP. XI.

QVando contingit veſperas, & Miſſas in Cappellis huius Cathedralis Eccleſiæ pro earum feſtiuitate canere, non diſcedatur à Choro, ſed ibidem fiant omnia ornata tantum, & cum candelis accenſis ſuper Altare permaneat Cappella illa, cuius feſtiuitas celebratur, donec veſperæ, & Miſſa cantantur, & in diebus feſtiuis, & ſollemnibus, quando verbum Dei prædicatur, nemo in Cappellis, & Oratorijs celebrare audeat: ſed ſi neceſſitas erit conceſſu Epiſcopi hoc fiat.

CAP. XII.

QVicumque ſacerdos in Altari certo Miſſam celebrare debet, ſi in alio celebrarit, nè quod debet præſtitiſſe cenſeatur: Niſi Epiſcopi alteriuſuè, cui ille id curæ commiſerit, iuſſu, conceſſu, permiſſuuè aliquando fecerit.

CAP. XIII.

IN die feſto Sanctorum Antonij, Donati, Coſmæ, & Damiani, & ſimilium morem illum ſuperſtitioſum ponendi filios in ſtateris, ex vna, & ex alia parte munera, vt æquo ſint pondere cum corona candelarum inter Miſſarum ſollemnia in omnibus Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ Eccleſijs, etiam Regularium ſeruari deinceps omnino prohibemus.

DE IIS QVÆ AD SACRAMENTI *Pœnitentiæ Adminiſtrationem pertinent.*

CAP. I.

MVLTIPLEX profectò, & immenſa eſt Dei miſericordia, qui ſciẽs humani generis imbecillitatem, ac infirmitatem, ita lapſibus humanis ſubuenit, vt nõ ſolùm per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ, vt qui dona regenerationis violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſſionem criminum, ſalutiſq; portum per pœnitentiæ ſacramentum (quod meritò ſecunda poſt naufragium tabula appellatur) peruenirent: ſic diuinæ voluntatis præſidijs ordinatis, vt indulgentiam Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeant obtinere: mediator enim Dei, & hominum, homo Dominus Ieſus Chriſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus pœnitentiæ ſatisfactionem darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.

CAP. II.

QVamuis Præsbyteri in ſua Ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiãt, decreuit tamen Sacroſancta Synodus Trid. nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parocchiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen (ſi videbitur eſſe neceſſarium) aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis concedatur oſtendat: quod in Ciuitate, & Diœceſi noſtris perpetuò ſeruari ſtrictiſſimè iubemus. Vicarius tamen, qui Caſtellanetæ pro tẽpore erit facultatem hanc abſente Epiſcopo non paſſim, ſed approbatis tamen, ac examinatis ſacerdotibus concedat: quod examen ab examinatoribus nõ paucioribus, quàm tribus fieri debeat.

CAP. III.

REgulares ad pœnitentium confeſſiones non admittantur, niſi ſuorum ſuperiorum, ſcilicet Miniſtri, vel Prouincialis litteras commendatitias habeant, quos in Domino rogamus, vt ad Ciuitatem noſtram vbi conuentus, & Monaſteria habent, idoneos eorum ordinum fratres ad tanti ſacramenti miniſterium tranſmittant.

CAP. IIII.

QVoniam iure optimo fuerunt diſtinctæ Parochiæ, ac vnicuique gregi proprij attributi

Curati

Curati Rectores, vt ſuarum quiſque ouium curam habeat, nè ordo Eccleſiaſticus confundatur: Nemo animarum Curator alterius animarum Curatoris ſubditos in Confeſſionibus audire præſumat, niſi de proprij Curati, vel Ordinarij conceſſu.

CAP. V.

Regularibus confeſſarijs in noſtra Ciuitate, & Diœceſi confeſſiones audiendi facultas concedatur, cum eo, nè ſcilicet paſchali tempore ſeculares pœnitentes audiant abſque proprij animarum Curatoris cōceſſu, ac venia, cuius voluntatis teſtimonia proferant, & quibus confiteri volent oſtendant: Animarum verò Curatores non omnibus illam, eo tempore concedant, videlicet Concubinarijs, & ijs qui, vt proprij ſacerdotis iudicium eludant ſibi confeſſarios breui à Ciuitate diſceſſuros, ipſorumque mores, & vitam ignorantes, quærunt, putantes Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, & in dies peiores fiunt, cum etſi quolibet anno modo huic, modo illi ſua confiteātur peccata, numquàm tamen ſe emendant, & occaſiones peccatorum relinquunt, ac durius autem cum iſtis erit agendum, vt aliquando Deo bene iuuante reſipiſcant.

CAP. VI.

Caueant autem Cōfeſſarij, nè verbo, aut ſigno, aliouè modo, dum confeſſiones audiunt, aut

extra

extra confeſſiones, peccatorem prodant: quoniã qui peccatum pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolùm deponi à ſacerdotali Officio debet, ſed etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium erit detrudendus: quod ſi quis aliquo fortè caſu dubius extiterit, prudentiorique conſilio egeat, illud abſq; expreſſione perſonæ, cautè facti ſpeciem proponendo, requiret.

CAP. VII.

INnocentij Tertij Conſtitutionem in generali Concilio editam, qua ſancitum eſt, vt fideles ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti peccata ſua confiteantur inuiolatè omnes ſeruent: hortamur etiam, vt pia naſcentis Eccleſiæ conſuetudo innouetur, qua Chriſti fideles illi veteres ſolebant ſæpiſſimè confiteri.

CAP. VIII.

VT verò tam ſalutare pœnitentiæ ſacramentum quàm religioſiſſimè, ac decentiſſimè miniſtretur, omnemquè vel auaritiæ, vel ſimoniæ labis ſuſpicionem tollamus, nè vituperari, ſed laudari contingat Miniſterium noſtrum, caueant omnino Confeſſarij quicunque, nè quærentes quæ ſua ſunt pœnitentias pecuniarias ſibimet applicandas, aut à ſe diſtribuendas, etiam ſub prætextu quod res ſit reſtitutioni obnoxia, neque votorum permutationis occaſione, aut Miſſarum celebrationis

tionis pœnitentibus imponãt, à quibus nihil prorſus, quod lucrum temporale, vel quid ſimile ſapiat petere, vel exigere audeant. Si quis verò (quod abſit) contra præſentis Conſtitutionis diſpoſitionem venire præſumpſerit, præterquàm quod Deum habebit vindicem, ac vltorem: ab audiendis Confeſſionibus, niſi ſtatim huiuſmodi malè percepta reſtituerit, eo ipſo ſuſpenſus exiſtat: maximè tamen deceret, ſi à ſponte etiam oblatis abſtinerent.

CAP. IX.

QVæ reſtitutiones ernnt faciendæ tàm famæ, quàm bonorum, ijs perſonis à pœnitentibus fieri confeſſarij curabunt, ſi certæ ſint, idquè fieri commodè poterit, quibus vel iniuria fuerit irrogata, vel damnum illatum: ſin autem malè ablata, vel pauperibus diſtrubuantur, vel confitentes aliquò pacto prudentis Confeſſarij iudicio ſatisfacere debebunt: ſed caueant ſacerdotes, nè ſibi, vel ſuis Eccleſijs, quod alijs reſtituendum foret ſimulatione pietatis vſurpent, ſub prætextu, quod ipſi (vt aliquando factum affirmant) pro pœnitentibus celebrando ſatisfacient, qui autem in huiuſmodi caſibus aliquos accepta pro ſe, Eccleſijſque ſuis pecunia, vel ob quid aliud temporale, doloſè, ac inita conuentione præſumpſerint abſoluere, ſint ipſo facto excommunicati.

CAP. X.

VT etiam querelarum, & ſcandalorum occaſio penitus tollatur: videant Confeſſarij, nè pœnitentis cuiuſquàm audire peccata prius incipiant, quàm de confeſſionis impedimentis interrogauerint: nè ſi eum à ſe, quem abſoluere non poterunt, cognitis eiuſdem criminibus dimittant, malitioſè id factum putetur: ſed iſto caſu paternam adhibeant charitatem: vt conſolatus diſcedat, reuerſurus ſuo tempore pœnitens ad obtinendum abſolutionis beneficium ab eodem confeſſario, propter facultatem illi attributam, vel alias ſuæ ipſius ſaluti aliquando proſpiciat.

CAP. XI.

CAſus autem, in quibus excommunicationis ſententia incurritur ipſo iure, quorumuè abſolutiones vel Summo Romano Pontifici reſeruantur, vel Epiſcopo, item & Canones, qui pœnitentiales dicuntur, non ignorare confeſſarium oportebit, eos verò non hic tranſcribimus, ſed libellos ea de re Juſſu Caroli Piæ Memoriæ Card. S. Praxedis Archiepiſcopi Mediolani ad animarum Curatorum vtilitatem confectos, vnuſquiſque perlegat, vt eos quoad fieri poterit, aliquo pacto memoriæ commendet, atque antiquorum Can. grauitate penſata, pœnitentias adhibito diſcretionis moderamine ad fidelium fructum iniungendas arbitretur.

CAP. XII.

OMnes deniq; Confeſſarij diligenter conſcientiam pœnitentium introſpiciant, an ipſam excuſſerint, & debita præparatione ad ſua peccata confitendum acceſſerint, cum difficile ſit ea, quæ reticueris longo tèmpore breui recenſere, & in memoriam reducere. In modo autem puniendi modum adhibeant,vt ſcilicet contraria contrarijs curentur. Auaris igitur, eleæmoſinas: lubricis carnis caſtigationem, & elatis opera præcipiant, quibus eorum ſuperbia frangatur. Caueant item nè alienis peccatis indulgendo, eorum ipſi participes fiant: ſed omnia prudentiâ moderentur,memores præſertim vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum vindictam, & caſtigationem.

CAP. XIII.

PRæfecti Curati fidelem populum doceant recogitare omnes annos in amaritudine animæ, hoc eſt, vt ſigillatim excutiant peccata, idquè non ſemel per annum, aut bis, ſed frequénter: ob eaq; ex Charitate potiùs, quàm gehennæ timore ex animo doleant: criminum qualitatem examinent, loca, tempora,varietatem, ac perſonas, quibuſcum ea commiſerunt. Admoneanturquè neceſſarium eſſe imprimis delicta omnia, quæ perpetrauimus odiſſe, & deteſtari: nè ſi quorundam tan-

tum dolore afficiamur ficta, & ſimulata, neque ſalutaris pœnitentia à nobis ſuſcipiatur. Doceant quoque oportere contritionem ipſam confitendi, & ſatisfaciendi cum certa, ſtabiliquè vitæ emendandæ cogitatione voluntatem coniunctam habere.

CAP. XIIII.

CVrent item pro data ſibi à Deo Prudẽtia plebes ſuæ curæ commiſſas ſæpius per annum inſtruere, qua modeſtia, quaquè humilitate, ac decentis corporis habitu, compoſitionequè ad ſalutare pœnitentiæ ſacramentum coram Dei Miniſtro accedere, manerequè debeant, vt deuotè, ſcilicet genibus flexis, capite aperto, vultu demiſſo, verecundè, ac manibus iunctis, quod erit contritionis ſignum ſuo patri, ac Medico ſpirituali animæ plagas oſtendant, ordine omnia peccata detegentes: quod debitam profectò animi præparationem, atque peccatorum excuſſionem indicabit. Idquè maximè expedit, vt de omnibus à Dominò Ieſu Chriſto miſericordiarum Patri miſericordiam conſequantur.

CAP. XV.

IN Eccleſia noſtra Cathedrali proprij ſacerdotum, & aliorum Clericorum Confeſſarij ſint, qui per Epiſcopum ad id muneris exequendum quolibet anno deligantur.

CAP. XVI.

PRæfectos Curatos, omneſquè Confeſſarios ſacerdotes admonemus, vt ſi quando eis ex ordinis licentia, vel Apoſtolicarum litterarum auctoritate pœnitentium vota cõmutare licebit, vel maiora pietatis opera, vel quæ tantundem valeant, ea commutent, qua in re iudicanda, rationem ſemper habeant, & ſumptuum, & laborum, & moleſtiarum, & omnium deniq; incommodorum, quæ pœnitentes perpeſſuri erant, ſi votum, quod ſanctè conceperant, re ipſa præſtitiſſent.

CAP. XVII.

COnfeſſarius quicunque, vel ſecularis, vel Regularis ſit, non ſtando, ſed in ſede tanquam pro Tribunali Iudex ſedendo, ſacram confeſſionem audiat pœnitentium, quales quales illi ſint etiam in ſummo aliquo dignitatis gradu conſtituti: itidem faciat cum abſolutionis ſententiam pronuntiat. Et quod in Eccleſia Dei antiqui inſtituti, veteriſquè conſuetudinis eſt, rectè omnino ſeruet, vt dum abſolutionis formulam, preceſquè adiunctas profert, ſupra caput pœnitentis manum dexteram eleuet: id quod etiam cum Myſterij ſignificatione fit.

CAP. XVIII.

NVlli liceat Confeſſario ſub cuiuſuis auctoritatis prætextu pœnitentes abſoluere à caſibus, quos ſibi Epiſcopi reſeruarunt quotannis, niſi

in Apoſtolicis litteris præcipua de ea re mentiõ fiat. Nè facultatum, priuilegiorumuè iure, quæ cuicunque, etiam Roſarij, Nominis Dei, ac Maris magni, aliiſquè confratrijs, collegiouè etiam laicorum, quæuè Collegijs, confratribuſuè in eo aſcriptis ante, vel poſt Concilij Trid.confirmatiõnem conceſſa ſunt, confeſſarius cuiuſuis Ordinis ſit, ab ijs caſibus quos nobis in noſtra Diœceſi reſeruauimus, vel pro tempore reſeruabimus pœnitentes ſine noſtra licentia abſoluat: ſi contrafecerit, ſuſpenſionem à diuinis confeſſione priuatus ipſo facto incurrat: irritumquè ſit, quod egerit abſoluendo. Hoc enim, & ſæpè alias alibi ſtatutum eſt, & ſuperioribus annis litteris ſac. Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium Interpretum Sacri Concilij Tridentini, ad nos directis definitum. Quarum litterarum tenor inferius deſcribetur. Reuerendiſſime Domine vti frater. Ex propoſito hoc Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum libello Congregatio ipſa cenſuit, Regulares vigore Priuilegiorum, aut Maris Magni, Aut Roſarij, aut nominis Dei, non habere facultatem abſoluendi in caſibus, quos ſibi Epiſcopi reſeruarunt. Quam eiuſdem Congregationis ſententiam Amplitudini tuæ notam eſſe voluimus, vt ea vbi opus erit, vti poſſit: interea eam bene in Domino valere optamus. Romæ die vltima Iunij. M.D.LXXXVII.

Amplitudinis tuæ, vti frater Antonius Cardinalis Carafa.

CAP. XIX.

PRæsbyteri Confeſſarij Confeſſiones fidelium nè audiant in Eccleſijs ſine ſuperpelliceo, & ſtola, Regulares verò in hoc Miniſterio habitum, veſtitumquè adhibeant, quem ex Regulæ præſcripto in Choro ad diuina Officia celebranda adhibent. Omnes verò videant, ne extra Eccleſiam, Oratoriumuè confeſſionem audiant, præterquàm ægrotantium etiam virorum, niſi ob vrgentem cauſam.

CAP. XX.

OMnes huius noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis Eccleſiæ confeſſionalia habeant forma à nobis præſcribenda conſtructa, totidemquè ſint quot confeſſarij, in publico, & in patenti loco conſtituta. In Confeſſionali autem hæc affixa ſint, ſacra ſcilicet Imago, litteræ Proceſſus die Cœnæ Domini quotannis editæ, tabella caſuum, quos ſibi Epiſcopus reſeruarit, forma abſolutionis, & orationes præterea præparatoriæ, ad ſacram confeſſionem audiendam.

CAP. XXI.

EXcommunicationis pœnam ſacerdotibus ſiuè ſeculares, ſiuè Regulares ſint, ſine approbationis facultate, ab Epiſcopo data pœnitentiæ ſacramentum miniſtrantibus propoſitā, ipſo facto

eos,

eoſ, qui contrafecerint ſubire decernimus. Sacerdotum verò confeſſariorum, qui probati ſunt nomina, in Tabella ordine, deſcripta in loco conſpicuo ad valuas ſacriſtiæ Eccleſiæ, vbi illi habitant affixa in omnium conſpectu ſint.

CAP. XXII.

SAcerdotes confeſſarij mulieres ante ſolis ortũ, vel poſt eius occaſum cõfitentes, nè audiant, nisi talis vrgeat neceſſitatis caſus, vt nobis, vel Vicario noſtro Generali faciendum aliter videatur. Nè confeſſarius fœminarum ægrotantium confeſſiones audiat, oſtio cubiculi clauſo, ſed aperto, patentiquè cubiculo, religioſumquè comitem, hoc eſt boni teſtimonij virum ſecum adhibeant, & ſenem, quoad eius fieri poterit.

* confessionas.

CAP. XXIII.

REgulares meminerint, ſi laicos á Canone, ſeu à ſententijs ſynodalibus, contra Viennenſis Concilij Conſtitutionem abſoluerint ſe excommunicationis ſententiam Romano Pontifici reſeruatam incurrere ipſo facto.

CAP. XXIIII.

CAueant confeſſarij ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs noſtro arbitrio infligendis, nè abſque præuia ſatisfactione tàm honoris, & famæ, quàm etiam bonorum, eos abſoluant (præterquam in mortis articulo) qui falſum teſtimonium in iudicio dixerint, qui in excommunicatio-

nes de mandato noſtro, vel noſtræ curiæ fulminatas pro rebus deperditis, vel ſubtractis inciderint.

CAP. XXV.

SI quis ſemel in confeſſione monitus reſtitutionem (cum poſſet) nō fecit, iterū non abſoluatur, niſi id re ipſa præſtiterit (exceptò mortis articulo) ſed ſi commodè tunc etiam fieri poſſit, tanta cautio requiratur, vt ab hæredibus quod reſtituendum erat, exigi poſſit poſt obitum pœnitentis.

CAP. XXVI.

QVod Summus Pontifex Pius V. propoſitis pœnis iuſſit, medicos ab ægrotantis curatione poſt triduum abſtinere, niſi eo tridui ſpatio, de peccatis ſuis confeſſus ille ſit: id nos quàm diligentiſſimè obſeruari volentes, decernimus, vt nullus Medicorum ad ægrotantis curationem poſt triduum accedat, niſi eo tridui ſpatio de peccatis ſuis confeſſus ille ſit, aut Epiſcopo aliud ex iuſta cauſa videatur, qui verò contrafecerit eaſdem pœnas ſubeat. Nec verò confeſſarius ſacerdos, quicunque ſit, etiam regularis, nè auditæ ſacræ confeſſionis teſtimonium ſcriptum manu ſua, ſuoq; ſigillo ſignatum ſibi peccata confeſſis dare omittat, tùm in Paſcha, vt Curatis, tùm ægrotationis tempore vt Medicis, quod debent eos præſtitiſſe planè conſtet.

CAP.

CAP. XXVII.

PRæfecti Curati ad eam curam vehementer incumbant, vt infirmos quàm primum viſitent, ac monitis ſalutaribus eò inducant, vt per pœnitentiæ ſacramentum ad reconciliationis gratiam reducantur.

CAP. XXVIII.

PRæcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis ſacerdotibus confeſſarijs, vt bis ſingulis menſibus ſaltem omnes ad conferentias conueniant in Epiſcopali Palatio coram nobis, vel nobis impeditis, ſeu abſentibus coram Generali noſtro Vicario, ibiquè non ſolum conſcientiæ caſus diſcutiant: ſed etiam multa proponant, quæ ad morum diſciplinam, & pietatis ſtudium pertinere videbuntur, ſecumquè ipſi quandoquè colloquantur, quàm graue, vel ad ſalutem, vel perniciem animarum onus ſuſtineant, quàm cautè, prudenterquè procedendum, cum de reſtitutionibus agitur, vel de occaſionibus, quibus ad peccata mortalia aditus aperitur.

CAP. XXIX.

CVrati Præfecti, & Concionatores moneant populum, nè confeſſio, quæ Paſchæ tempore ex præcepto Eccleſiæ fieri debet vſque ad maiorem Hebdomadam differatur, quo tempore vel ob myſteriorum celebritatem, aſſidua diuinorum Officiorum occupatione, ab audiendis Confeſſio-

nibus impediuntur: vel frequenti tunc concurſu fidelium defatigati, ita in eo ipſo munere præſtando ferè opprimuntur, vt tantum tamquè ſalutare miniſterium in confertiſſima multitudine vix rectè illis præſtare queant. Cuius rei gratia à tertia Dominica Quadrageſimæ vſque ad Reſurrectionis Octauam, pars confeſſariorum per vices iuxta claſſem à nobis diffiniendam, quotidie ſtata hora poſt prandium ad campanæ ſonum in Eccleſiam conueniant, & Confeſſionalibus aſſideant, nè per ipſos ſtet, quominus peccata ſua fideles opportuno tempore confiteantur.

C A P. XXX.

PRæcipimus, & mandamus omnibus ſacerdotibus confeſſarijs, etiam Regularibus, qui in Vrbe ſunt, vt ſemel Hebdomada prima Quadrageſimæ, iterum Aduentu ineunte coram nobis conueniant, vel nobis impeditis coram generali Noſtro Vicario quibuſcum agemus de rebus, quæ ad animarum ſalutem pertinere videbuntur.

C A P. XXXI.

QVoniam tempus Paſchale, quo tenētur omnes vtriuſque ſexus Chriſti fideles ſua peccata confeſſi communicare, dies octo complectitur, ante Dominicam Reſurrectionis, & totidem poſtea: proinde Curati Præfecti, eo tranſacto tempore notulam ad ordinarium trāſmittant, illorum ſcilicet, qui confeſſi non fuerint, & qui Euchariſtiæ

Sacramentum non ſumpſerint. Non confeſſis autem, aut non communicatis teſtimonium, neque ore, neque etiam ſcripto, quod confeſſi, communicatiuè ſint, nullus confeſſarius, ſub pœna ſuſpenſionis præbere audeat.

CAP. *XXXII.*

QVoniam verò ſupradiximus nemini in caſibus, quocunque modo nobis reſeruatis, abſoluendi poteſtatem eſſe abſque ſpeciali noſtra licentia, præter eos, qui de iure Epiſcopo reſeruantur; vt ſciant omnes Confeſſarij à quibus abſtinere debeant, nè in alienam meſſem falcem immittant, infraſcriptos etiam pro nunc ponimus videlicet.

Abſolutionem ab excommunicatione maiori, ſuſpenſione, vel interdicto à iure, vel ab homine lato.

Vulgò Blaſphemantes Deum, Beatam Virginem, vel ſanctos.

Opprimentes infantes non adhibita conueniente cautione.

Procurantes abortum ſecuto effectu, vel ſterilitatem cum effectu.

Homicidium voluntarium, & ad id dantes conſilium, auxilium, vel fauorem.

Concubinarios, tàm Clericos, quàm Laicos, ſodomitaſquè, & inceſtuoſos vſque ad ſecundum gradum conſanguinitatis, & affinitatis, vel in co-

gnatione ſpirituali.

Stuprantes Virginem ſub promiſſione matrimonij.

Vſurarios publicos, & Notarios non reuelantes infra duos menſes à die mortis teſtatoris teſtamenta, & legata ad pias cauſas, & eorum exequutionem impedientes.

Eos qui Confeſſarios, aut Notarios prohibent, aut impediunt, ne ad ægrotos accedant, & peruertentes, ſupremas teſtantium voluntates.

Eos qui in Iudicio falſum doloſè depoſuerint, vel quomodolibet falſas ſcripturas cum præiudicio tertij compoſuerint, ſiuè ad falſum ſeduxerint in præiudicium tertij.

Notarios, qui doloſè diminutam informationem capiunt, vel omnia dicta teſtium non ſcribũt.

Occupantes, ſeu vſurpantes, quocunque quæſito colore bona, iura, cenſus, iuriſdictiones, fructus, emolumenta, & quaſcunque obuentiones Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & piorum locorum, aut non reuelantes in fraudem.

Non ſoluentes, vel fraudantes decimas Eccleſijs debitas, darique eiſdem quomodolibet conſuetas, & fraudibus huiuſmodi conſentientes, ſiue laici ſint, ſiue Clerici.

Obſtetrices, quæ vltra caſus neceſſitatis baptizandi munere funguntur.

Sortilegos, & Diuinatores cum Dæmonum in-

uocatione

uocatione tacitè, vel expreſsè.

Abitentes ſacramentis, vel alijs rebus ſacris, vel aqua benedicta ad ſuperſtitiones.

Comedentes carnes, alioſuè cibos vetitos in Quadrageſima, vel alijs diebus prohibitis ab Eccleſia, aut eos diebus quadrageſimalibus in macel lo, vel caupona vendentes ſine noſtra, vel Vicarij noſtri licentia.

Sponſos, qui ante Matrimonium coram parocho, & teſtibus contractum carnali ſe copula cõmiſcent, vel ſimul cohabitant, vel in aliena etiam Domo conueniunt.

Confeſſarios, qui aliquid à pœnitentibus nomine reſtitutionis, aut ſatisfactionis, aut pro Miſſis celebrandis ad poenitentiam iniunctis exegerint, aut petierint.

Clericos omnes, qualitercunque beneficiatos, aut in ſacris conſtitutos, ſacras horarias preces non recitantes, vel in habitu ſeculari incedentes.

Incendiarios ex propoſito.

Sacrilegium committentes per furtum, & rapinam, & ſanguinis, vel ſeminis effuſionem cum ſcandalo.

CAP. XXXIII.

AVdita poſtremò pœnitentis Confeſſione eũdem Confeſſarius, in caſibus tantum, in quibus id ſibi permittitur, abſoluat ſub infraſcripta forma.

Miſe-

Miſereatur, &c. Indulgentiam &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & Ego authoritate ipſius mihi licet indigniſſimo conceſſa, abſoluo te imprimìs à vinculo excommunicationis in quantum poſſum, & indiges: deinde ego te abſol uo ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Paſſio Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, vel mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, in augumentum gratiæ, & præmium vitæ eternæ.

CAP. XXXIIII.

Tempore Iubilæi, & ſimilium gratiarum.

SI teneris aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excommunicationis & interdicti, (ſi eſt Clericus addatur) ſuſpenſionis á quibus ego poſſum te abſoluere, authoritate mihi commiſſa, & tibi conceſſa à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa, Ego abſoluo te, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & vnitati fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Miſereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus vt ſupra.

CAP. XXXV.

AT ſi de Excommunicatione confeſſarius ſit certus, & facultatem abſoluendi habeat, dicat ſic: Auctoritate N. Ego te abſol-

abſoluo à vinculo excommunicationis incurſæ propter talem cauſam. Deinde ſubiungat ſic: & ſi teneris aliquo alio vinculo excommunicationis, à quo &c. Poſtremó abſoluat à peccatis vt ſupra.

CAP. XXXVI.

Forma diſpenſandi ſuper Irregularitate.

AVctoritate N. in hac parte tibi conceſſa, & mihi commiſſa diſpenſo tecum ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxiſti, Propter talem (vel tales) Cauſam, (vel cauſas,) & reſtituo te ad actus legitimos. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

CAP. XXXVII.

ABſolutio in articulo mortis pro habentibus Bullas, aut confeſſionalia, aut Apoſtolica Priuilegia: Poſtquam pœnitens fuerit abſolutus à cenſuris, & à peccatis ſecundum formulam, hic ſuperius poſitam, debet ſacerdos in fine, hæc verba ſubiungere. Auctoritate D. Noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli tibi conceſſa, & mihi commiſſa, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam poſſum concedere, virtute bullarum tuarum confeſſionalium, vel aliorum Priuilegiorum, ſi tamen hac vice morieris, alias, pro alia tibi vice reſeruo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

CAP. XXXVIII.

De Canonico Pœnitentiario.

CVm in Eccleſia noſtra Cathedrali, ex præſcripto ſacroſancti Conc. Trid. diuina nobis fauente Clementia, canonicum pœninitentiarium inſtituerimus aptiorem quidem pro loci qualitate, quem inuenire potuimus, nempè Reuerend. Præsbyterum, & Canonicum Leonardum Vrbinum. Hac igitur præſenti perpetua conſtitutione edicitur, vt quandocunque Canonicatum huiuſmodi vacare contigerit, ſemper Pœnitentiariæ Officio intelligatur reſeruatum cum omnibus iuribus, honoribus, & oneribus, & pertinentijs ſuis.

CAP. XXXIX.

POEnitentiario pro tempore, ea intelligatur conceſſa facultas abſoluendi, & diſpenſandi in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, quæ per noſtras ſibi patentes litteras ſpecialiter concedetur.

Veruntamen caueat, nè à caſibus in Bulla Cænæ Domini ſpecialiter reſeruatis abſoluat, neque etiam ab ijs, quos Epiſcopus ipſe voluerit interdum ſibi reſeruare. Illudque meminerit in primis, nè ſibi delegatam abſoluendi poteſtatem alijs ſubdeleget, quod ei prohibetur expreſsè. Qui nihilominus dum confeſſiones in Eccleſia audiet, præſens in Choro cenſeatur. Epiſcopo ſollemni-

ter

ter celebranti, vel diuinis Officijs dum intereſt, niſi aliud pœnitentium neceſſitas, vel pietas expoſtulauerit, adſiſtat cum cæteris Canonicis.

CAP. XL.

TEneatur autem à die adeptæ poſſeſſionis, antequam ſupradicto muneri ſe immiſceat, iuramentum præſtare in manibus Epiſcopi, vel eius Vicarij Generalis ſub infraſcripta forma.

Ego N. Reuerendiſſimi Domini Mei Epiſcopi N. in Eccleſia Maiori Caſtellaneten. Pœnitentiarius ab hac hora in antea ero fidelis Beato Petro, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sanctiſſimo D. N. D. N. Papæ, eiuſq; ſucceſſoribus Canonicè intrantibus, ac Domino meo N. Caſtellaneten. futuriſquè pro tempore Epiſcopis Caſtellaneten. & pro confeſſionibus audiendis, vel abſolutionibus faciendis, ſeu alijs, quæ ſpectant ad meum Officiũ, nihil omnino per me vel per alium exigam, vel petam, & non abſoluam, vel diſpenſabo ſcienter in aliquo caſu mihi non commiſſo, neque in caſu ambiguo ſcienter cum aliquo diſpenſabo, niſi de ſpeciali mandato ſuperioris, cui exprimam dictum caſum, ſine alicuius reuelatione perſonæ, vel expreſſione, & non iniungam pœnitentias pecuniarias expreſſè mihi applicandas, Super reſtitutionibus iniungendis, & faciendis ſeruabo prout per dictum D. N. Epiſcopum eſt ordinatum, & ſupradicta omnia, & ſingula promitto, & iuro obſer-

uare ſine omni dolo, & fraude, ac malitia:ſic mè Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

CAP. LXI.

POenitentiarij ſedes cæteris ſit eminentior, & in ingreſſu Eccleſiæ conſtituatur è regione altaris maioris ad cornu Euangelij ad eum modum, vt ſcabellum pœnitentis ſit ab altero latere. Nunquàm ſedeat ad confeſſiones audiendas abſque ſuperpelliceo, & ſtola, habeatquè virgam in manu ſua ſignum poteſtatis & Iuriſdictionis, confeſſioneſque non audiat, niſi celebrauerit prius, vel Miſſæ ſacrificio interfuerit, ſi commodè fieri poterit; vt ſe, piumquè opus, quod eſt inchoaturus confiterique volentes Deo commender, & quæ in ipſo eſt incœpturus, per ipſum cœpta finiantur.

DE IEIVNII OBSERVATIONE.

CAPVT I.

SACRVM Ieiunium, quod in Eccleſia Dei tantopere ab omnibus laudatur, & quod Sac. Canones, ac præterea Sancta Tridentina Synodus Paſtores omnes exhortatur atque obteſtatur, omnem adhibere diligentiam ad fideles Populos cohortandos, vt ea, quæ ad domandam carnem conducunt præſertim ciborum dele-

delectum, & ieiunium omni ſtudio amplectantur. Iraque nos Clero, Populoque noſtro plurimum comendamus, admonentes illud imprimis, ieiuniũ magnũ, & generale eſſe, abſtinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſeculi, & quaſi quadrageſimã abſtinẽtiæ nos celebrare cũ bene viuimus, expectantes beatam illam ſpem, & reuelationem gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: in qua cum fuerit de ſpe facta res, accepturi ſumus mercedem, & denarium diurnum, ab immortali illo, æternoque Patre familias.

C A P. II.

OMnes igitur Chriſti fideles, quos Eccleſiæ legibus obſtrictos eſſe, ſe non ignorare confidimus, omnibus Quadrageſimæ diebus, (Dominicis exceptis, ac etiam vigilijs Epiphaniæ, & Aſcenſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & SS. Apoſtolorum Philippi, & Iacobi) & in quatuor Anni temporibus, ac omnibus indictis, præceptiſquè Sanctorum Vigilijs abſtineant à carnibus, ouis, caſeo, alijſuè lacticinijs, quæ ſementiuam carnis originem trahunt, hiſquè diebus, vnica tantum refectione ſint contenti poſt meridiem, etſi propter naturæ imbecillitatem, ad ipſiuſquè ſuſtentationem perexiguum, ientaculum de ſerò, non tamen loco cibi, ſumere volentibus licitè concedatur. Infirmi tamen, prægnanteſquè mulieres, & alij, quos vrgens neceſſitas, vel imbecilla ætas,

aliauè iuſtà cauſa cogit, Ieiunij lege non aſtringuntur. Ex eodem etiã præcepto Eccleſiæ ſciant omnes Chriſti fideles ſe teneri, feria ſexta, & ſabbatho à carnibus abſtinere.

CAP. III.

ET quoniam nonnulli ſuæ ſalutis immemores diebus illis, quibus ex præcepto ieiunare tenentur ad libitum comedunt non ſemel tantum, ſed de manè, & ſerò, quemadmodum, & in alijs temporibus, idque palam faciunt, & abſque conſcientiæ ſcrupulo, vt verbis, ac operibus ſignificare videntur: Ideo curæ ſit Præfectis Curatis, Confeſſarijs, & Concionatoribus, tum in eorum concionibus ad populum, tum etiam pœnitentium confeſſiones audiendo, huiuſmodi hominum genus redarguere, peccati grauitatem illis aperiendo: quoties enim quis non impeditus Eccleſiæ Ieiunium frangit, mortalis peccati reus efficitur: & ſi quando aliqui excuſationem afferunt nõ poſſe ſe, vel inediam ferre, vel quid ſimile effingunt, tunc eoſdem admoneant, eſſe valde cuiquè periculoſum de ſe ipſo iudicium facere, ſed medicum adeant, qui benè ipſorum excuſatione, neceſſitateuè perſpecta, quid iſto caſu faciendum ſit, ipſe deliberet, ac de omnibus certiorem faciat Epiſcopum, vel eius Vicarium, vt licentiam de peritorum conſilio, vel denegent vel concedant.

CAP.

CAP. IIII.

QVadrageſimæ totius tempore, caueant laniones, Tabernarij, caupones, & alij quicunque carnes, ciboſquè alios vetitos venales habere, vel in eorum domibus parare, niſi de ſcripto licentia ad infirmorum vſum: quæ facultas non cuicunque vendere volenti concedatur, ſed aliquibus tantum pro populi neceſſitate: quæ vt hactenùs ſeruatum fuit gratis omnino detur. Caueant autem diligènter, nè carnes huiuſmodi facultatem non habentibus vendant, ſub pœna, tàm ementibus, quám etiam vendentibus amiſſionis rerum venditarum, alias arbitratu Epiſcopi puniantur: moduſquè ſeruetur in prædictarum rerum venditione ſupra, in dierum feſtorum tempore conſtitutus.

CAP. V.

CAueant autem Medici, ne in eo genere adeò faciles ſe præbeant: non enim ſolùm ipſi ſubeunt iudicium magni Dei, ſed alijs quoque cauſas offerunt ruinarum: ſi quis autem abſque vlla facultate eo tēpore vetitis cibis veſci auſus fuerit, præſertim ſi nulla cauſa rationabilis liberat, & eximit à lege Ieiunij, excommunicationis ſententia ab Epiſcopo feriatur.

CAP. VI.

IEiunia igitur ab Eccleſia indicta religioſè obſeruari mandamus. Admonendumquè populum

pulum, cur ſint inſtituta, nēpè vt corpus per temperantiam cibi, ac potus caſtigetur, in ſeruitutemquè rationis redigatur, quo animus vegetior, ac liberior diuinis laudibus aſſiſtat. Magnum certè, ac generale ieiunium eſt abſtinere ab omnibus iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſeculi. Idcircò ſtudeant fideles, in Dei laudibus, Eleæmoſinis, ac alijs Chriſtianæ pietatis Officijs totum illud tempus conſumere, vt dum caro ab alimentis abſtinet, mens pariter, à culpa ieiunet. Nullus interim aleis, taxillis, aliiſuè ludorum vetitorum generibus ſeſe exerceat ſub pœna arbitratu noſtro, etiam excommunicationis ſi ita expedire nobis videbitur.

C A P. VII.

ADmoneant præterea Præfecti Curati, Confeſſores, Concionatoreſq; fidelem populum cùm ieiunandum erit non minus ſumptuoſa, ac prolixa illa piſcium fercula, quàm carnium vitanda: bellaria item illa magis, quàm Carnes inflammantia.

DE IIS QVÆ PERTINENT AD *extremæ Vnctionis Adminiſtrationem.*

C A P. I.

CVM per totum præſentis vitæ ſpatium humani generis perennis hoſtis circuat quærens

rens quem deuoret: & ideo pro ſubditorum ſalute ſit inuigilandum: extremo tamen tempore cum eorum calcaneo antiqui ſerpentis inſidiatur aſtutia; id multò impenſius animarum Curatoribus erit præſtandum. Proptereaque Clementiſſimus, & Miſericors Deus, & Redemptor Noſter, extremæ vnctionis ſacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio muniuit. Vnctio enim hæc eſt gratia Spiritus Sancti reliquias peccati, ſi quæ ſint abſtergens: animam ægroti alleuans, & confirmans; vt tentationibus Dæmonum facilius reſiſtatur, & velociorem ad Deum tranſitum concedit.

CAP. II.

PRæfecti itaque Curati ſuos admoneant ægrotos, vt ſalutaribus pœnitētiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ſuſceptis, opportuno deinceps tēpore, cum probabiliter mortis timetur periculum, dumquè integros habent ſenſus, & vberiori cum fructu præparare ſe poſſunt, extremæ Vnctionis Sacramentum adhibendum ſibi poſtulent, de cuius vi, ac virtute prudentibus verbis ex Cathechiſmi Romani doctrina illos, cæteroſq; præſentes etiam prædoceant.

CAP. III.

SI quis tamen æger, vel ob curantium negligentiam, vel morbi vi, vel repentino aliquo caſu, ſenſum omnem amiſerit, vt nihil pla-

nè

nè intelligat, nihilominus inungi non omittatur, ſi modò adhuc viuat, & dum vſum rationis haberet pij animi ſignificationem dederit, vt inde iudicari poſſit eum hoc ſacramentum petiturum, ſi adhuc integra mente eſſet.

CAP. IIII.

IN eius verò collatione aduertat animarũ Curator, vt dum ex rituali *Romano*, ſacra verba ſingulis applicata ſenſibus profert, quæ debita ſunt huius ſacramenti forma, videlicet. Per iſtã Sanctam Vnctionem &c. eodem tempore non antè, vel poſt, ipſeque non alius ſanctã adhibeat vnctionem. In ſacerdotibus autem hanc ſeruet laudabilem conſuetudinem, vt eorum manus pro quadam ſpeciali honeſtate, perungat ad extra, laicorum verò ad intra. In Mulieribus item, vt eas non in renibus, ſed in ſummitate pectoris inungat: quod in viris etiam obſeruet, ſi renes inungi infirmitas prohibuerit.

CAP. V.

CAueat Sacerdos quicunque miniſtrans hoc Sacramentũ nè dum oculos, nares, aures, & manus inungit alteri tantum vnctionem adhibeat, nè imperfectum remaneat Sacramentum. Et ſi vngendus aliquo membro careat, vt manu, vel pede, &c. vngatur locus tali membro propinquior: nec eadem ſtuppa, ſeu Goſſipio loca ſingula tergantur, ſed in qualibet membrorum ſpecie mute-

tur

tur. Et ſi infirmus ſit leproſus, tunc ſacerdos cum ſpatula munda ſanctũ oleum applicet pollice ſuo, ſicq; illum perungat, faciatq; ſpatulam poſtea cum Goſſipio comburi.

C A P. VI.

SCiant animarum curatores præterea poſſe hoc Sacramentũ in eodem homine iterari, non ſolũ vbi diuerſæ accidũt infirmitates, ſed in eadem etiã ægritudine, longius tamen perdurante, vel in ſpeciem immutatam, ad diuerſos periculorum caſus, poſt interualla aliquanti temporis incidẽtes: quoties ſcilicet nunc remittente, nunc ingraueſcente morbo, pluries ſpes ſalutis emergere, pluriesquè mortis imminere periculum apparebit. Non ignoret etiam poſſe hoc ſacramentum miniſtrari ſenio confectis, etiam non ægrotis in diem morituris: nec non lætifero vulnere ſauciatis, ſiuè id repentino caſu, ſiuè alieno maleficio euenerit.

C A P. VII.

ANimarum Curatores, ne hoc ſacramẽtum miniſtrent pueris, ac puellis rationis vſu carentibus, Mulieribus in partu laborantibus, ad bellũ proficiſcentibus, nauigaturis, peregrinaturis, & iis, qui vltimo ſupplicio mulctandi ſunt, amentibus, a c furioſis, niſi his, qui lucida habuerint interualla, & quidem poſtquam pia aliqua ſignificatione ſacramenti huius ſuſcipiendi deſiderium oſtenderint. Impœnitentibus tandem, &

iis, qui notorii eſſent peccatores, vel ab Eccleſia præciſi, nullum oſtenderint pœnitentiæ ſignum.

CAP. VIII.

CVm accerſitur Curatus ad hoc Sacramentũ miniſtrandum, propè ægroti lectum menſam paruulam, vbi commodè fieri poteſt, parari mappa candida munda curet: ſuper qua, & vas ſit, vbi Goſſipium ſeu ſtuppa ad abſtergendas vnctiones, micaquè panis, ad abſterſionem digitorum præparata; & vas alterum aquæ, ad digitos, & manus lauandas, & candela ceræ, itẽ parua. Qua in menſa vas ſacri olei à parte lecto propinquiore collocetur: à Laico autem homine, ne manu teneatur. Goſſipium verò, quo infirmus tergitur in ſacrario comburatur, vel decentiore loco quouſque comburi poſſit reponatur.

CAP. IX.

PRoficiſcatur id adminiſtraturus ſtola, ac ſuperpelliceo indutus, quotquè commodè poterit Presbyteros, & Clericos cum ſuperpelliceis adhibere ſtudeat, qui eum in tam pio adiuuẽt miniſterio: cum verò ad infirmi domum deuenerit, cæremonias ſeruet in Romano Rituali præſcriptas. At ſi mors ægro timeatur imminere, antequam præcedentes recitentur preces, tunc ſimpliciter omiſſis reliquis ſanctam adhibeat vnctionem debitam ſeruando formam, aſtanteſquè moneat, vt pro infirmo Deum piè precentur.

CAP.

CAP. X.

ANimarum Curator, ſi per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum eſt, ad ægrotum vngendum vnquam adhibuerit, etiam ſi Chriſmatis, aut Cathecumenorum ſit, vt erratum emendet olei ſacri, quod propriũ infirmorum eſt, vnctionem eidem adhibeat: & ſacramenti formã iteret.

CAP. XI.

AEger, ſi dum ſacro oleo vngitur extremum ſpiritum emiſerit, curatus vngere deſiſtat. ſi verò aliqua morbi vis de repente illum oppreſſit, vt dubitetur, viuus nè ſit, an mortuus, ea conditione in vngendo vtatur: ſi es viuus, per iſtam Vnctionem &c.

CAP. XII.

ANimarum Curator, vel eo legitimè impedito alius quicunque ſacerdos ad huius ſacramẽti adminiſtrationem vocatus, ſi, re neglexerit, vel in eo adminiſtrando negligentiam, vllamuè moræ culpam contraxerit, cum rationem Deo omnium Iudici reddet, tum pœna ab Epiſcopo grauiter plectetur. Is porrò ad omnem huius ſacramenti, in tẽpore adminiſtrandi diligẽtiam præterquàm quod, præcipuè cura ſua, quæ ſanctæ ſollicitudinis plena eſt, officio valde admodũ perpetuò excitetur: propoſito etiam ſibi exemplo Sãctiſſimi Epiſcopi Malachiæ accendatur, qui tã vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quod culpa ſua mulier quædã ſa-

cramenti huius gratia fraudata deceſſerat, vt totã noctem orando, gemendo, lachrymando conſumpſerit, lachrimarumq; vi quaſi maximo imbre pro oleo ſancto, quod non miniſtrauit, mortuam perfuderit. Manè autem exaudiuit Deus ſanctum ſuum: ita vt illa, è morte tanquàm è ſomno excitata è lecto ſeſe erigens ſacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo conualuerit.

CAP. XIII.

QVod Concilio Agathenſi cautũ eſt, id vnuſquiſque animarum Curator præſtare curet, vt Miſſæ ſacrificio peracto, ſi quos in parochiali vicinia ægrotantes habet, frequenter atq; adeo quotidie, quantum per alias ſuæ Curæ Parochialis occupationes licebit, inuiſat: atque eiſdem præſtet, quæ ſunt ſollecitudinis, munerisq; ſui officia, prout opus eſſe viderit.

CAP. XIIII.

VT Epiſcopo aliquando conſtet, diligens Curatorum animarum in ſalutaribus illis officiis, quæ fidelibus ægrotantibus illi debent, cura: eorum vnuſquiſque librum præcipuum habeat, in quo ſigillatim perſcribat ſingulis diebus parochiæ ſuæ Incolas, qui mortem obierint, & quæ ſacramenta eorum vnicuique miniſtrarit, & præterea quando commendationis animæ officium præſtiterit, & quo die hæc ſingula miniſtrarit.

CAP.

CAP. XV.

TAndem animarum Curator, vbi ſacramentũ hoc miniſtrarit, ſi æger ſermonis, & ſenſuum vſum non amiſerit cum breuibus, ſuauibus, ardentibusq; verbis illum conſolari, ac ad æternæ Beatititudinis deſiderium, & ad ſpem de diuina miſericordia concipiendam excitare, nè oportunè deſiſtat. Tum cum propè moriturus eſt in illius animæ commendatione, quã maxima poteſt intima animi pietate ſtatas religioſas preces recitet. Quibus propè morituris ſuggerat, vt ex hoc ſeculo antequam migrent, ad Epiſcopum certum hominem mittant, qui eis Epiſcopalem benedictionem pe‑ſtat. Si quis ſacerdos negligens in hoc præſtãdo officio fuerit, grauiter ab Epiſcopo punietur.

DE IIS, QVÆ AD SACRAMENTI *ordinis adminiſtrationem pertinent.*

CAP. I.

CVM diuina res ſit ſacerdotij adminiſtratio, magnaq;, ac ſalutaris Populo fideli vtilitas ex eo exiſtat cũ Clerus is eſt, qui & doctrinæ, & vitæ moribus præluceat: conſentaneum profectò eſt, quò dignius, & maiore cum veneratione exerceatur in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitio-

ne

ne diuerſos miniſtrorum ordines, qui ſacerdotio ex officio deſeruiant, ita diſtribui, vt qui iam clericali tonſura ſunt inſigniti, per minores gradatim ad maiores aſcendant. Cumque ex ſacrorum ordinum collatione character inuiſibilis animæ imprimatur, ſacra myſteria diſpenſentur, & ipſarum cura animarū tribuatur, in eorū ſuſceptione, & collatione tātò magis inuigilandum eſt, quantò ex mala ſuſceptione, & adminiſtratione eorum maiora in mentibus fidelium ſcandala generantur. Quæ igitur in re tam graui ſalubriter inſtituta, ſancitaq; hactenus fuere, ſicut par eſt, in Eccleſia noſtra ſeruari præcipimus, atque deinceps nobis fauente, beneque iuuante Deo cuncta, quo ad fieri poterit, ad Sac. Can. ſanctæque generalis Tridentinæ Synodi diſpoſitionem peragantur.

C A P. II.

OMnes qui ad Sacroſanctum hoc miniſterium accedere voluerint, ij præſertim, qui ad ſingulos maiores ordines erunt aſſumendi per menſem ante ordinationem, quam ſtatutis à Iure temtemporibus noſtris ſubditis indicere decreuerimus, Epiſcopum adeant, qui Subcantori, aut alteri, cui magis expedire ſibi videbitur committat, vt nominibus, ac deſiderio eorū, qui volent promoueri, publicè in Eccleſia noſtra Cathedrali propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat,

idque

idque totum poſtea Epiſcopo renunciet. ſed feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur euocentur ordinandi, vt ipſe, vel eiúsVicarius vnà cum examinatoribus vltra Inquiſitionem præfatam pro ſuſcipiēdi ordinis ratione, doctrinam, ac ſcientiam eorum diligenti quidem, ſed benignè tamen, & ex ſincero charitatis affectu, præcedente inueſtigatione ſciſcitentur.

CAP. III.

QVia verò difficilè admodum eſt, vt bonum ſortiantur exitum, quæ malum habuere principium: Patrū, ac aliorum piorum virorum exempla ſequuti ab ordinum ſacrorum ſuſceptione prohibemus Criminoſos, ſolemniter pœnitentes, Neophitos, ebrietati, & gulæ deditos, lapſos poſt ordinē ſuſceptum, ratiocinijs obligatos, ſeruos, corpore vitiatos, inſigniter deformes, peregrinos, ignotos, bigamos, irregulares quocunq; modo, ſuſpenſos, interdictos, excommunicatos, amentes, morbo caduco laborantes, illiteratos, illegitimos, maledicos, & detractores, iſtriones, & turpitudinibus inſeruientes, infames, id eſt, omnes qui Chriſtianæ legis normam abijciunt, ſtatuta Eccleſiaſtica contemnūt, fures, ſacrilegos, ſepulchrorum violatores, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, impudicos: & oēs quos ſeculi leges infamia notāt eos videlicet, Qui lenociniū fecerint. Qui iudicio publico. Calūniæ. Præuaricatione.

Bonorum

Bonorum raptorum. Iniuriarum. Dolo malo. Fraude ſub nomine pacti. Quiuè pro ſocio. Tutela. Mādati. Depoſiti per ſententiam extiterint condemnati. Alcatores publicos, & quos Eccleſiaſticæ leges pronunciāt infames. De criminibus accuſatos, antequam de cauſa cognoſcatur, & ſimiles, quod longum eſſet recenſere.

CAP. IIII.

NOn ſolùm autem huiuſmodi criminibus irretitos, & qui defectus patiūtur, quos ſupra poſuimus, ſed eòs etiam omnes ordinari non poſſe dicimus, qui in ea non ſint ætate conſtituti, quæ ad ordinem vnumquemque, ex Canonum, & Conc. Trid. diſpoſitione, & ex Sixti V. Fel. rec. conſtitutione requiruntur.

CAP. V.

PRæcipimus itaque, & mandamus, vt initiandi iuſtam, & legitimam habeant ætatem, quæ in tonſuriſta ad minimum ſeptem, in Acolutho, & alijs inferioribus ordinibus duodecim ſit annorū, in ſubdiacono autem viginti duos, in Diacono viginti tres, in Presbytero viginti quinque annos requirunt ſacri Con. ſanctiones.

CAP. VI.

PRomouendi ad primam Clericalem Tonſurā, hoc habeant fide dignum Teſtimonium ab eo, cui hæc cura ab Epiſcopo demandatur, confirmationis ſacramentum ſuſcepiſſe, rudimenta fidei di-

dicisse

dicisse, bonæ eſſe famæ, & conditionis, legere, ſcribereque ſciat. Si autem ſit adultus nullum delictum commiſiſſe, nec ſecularis iudicii fugiendi cauſa hoc vitæ genus eligere, ſed eius ſit probabilis cōiectura, eum velle fidelem cultum Deo præſtare. Nullus autem prima tonſura inſignitus fori priuilegio gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum vel tonſurā deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiat, aut in aliquā ſchola quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſetur. Et vt noti ſint ſeruientes, mandamus per aliquem eorum per nos eligendum punctari ad hoc, vt negligentes debitis Canonicis, & arbitrarijs pœnis à noſtro generali Vicario plectantur.

CAP. VII.

PRomouendi ad minores ordines bonum habeant à Magiſtro ſcholæ teſtimonium de vita, & moribus, & quod in prima tonſura Eccleſiæ aſſignatæ inſeruierint, Latinam linguam ſaltem intelligant, ſcientiæquè ſpes talis, quæ maioribus ordinibus dignos oſtendat. Horas precarias Beatæ M. Virginis recitare ſciant, cantumquè Eccleſiaſticum calleant, doctrinæquè Chriſtianæ ſcholas ſe frequentaſſe oſtendant, idque teſtimonium à Præfecto illarum afferant.

CAP. VIII.

AD maiores ordines promouendi compareant per menſem ante ordinationem generalem coram Epiſcopo, qui edictum ſuper hac re ante proponat, vt ipſorum nominibus publicè in Eccleſia propoſitis diligenter inquiratur, an habeant aliquod impedimentum ex iis, quæ propoſita ſunt ſuperius, præterea an in minorum ordinũ functionibus piè, & religioſè ſe geſſerint, an habitum, & tonſuram ſemper geſtarint, an frequenter ad Euchariſtiæ ſacramẽtum acceſſerint, an in ætate legitima ſint conſtituti.

CAP. IX.

PRæter hæc omnia diligens de iis cenſura ſumenda eſt, cum ab iis ordinibus ad ſecularem ſtatum amplius reſilire non liceat, & nemo facilè admittendus, niſi is, in quo tanta eruditio, & morum honeſtas ſit, quanta in eo requiritur cui poſtmodum animarum cura ſit committenda, horas Canonicas recitare ſciant, Cathechiſmum Romanum, Homilias, Conciliumquè Trid. expeditè interpretentur.

CAP. X.

CEnſum habeāt vel Eccleſiaſticum, vel Laicalem, quem, & pacificè poſſideri, & tantum eſſe conſtet, quantum ad eorum vitam ſuſtentandam ſatis eſſe Epiſcopus iudicarit. Pōſtquàm autem ordinati ſunt retroceſſionem, donationem,

venditionemue quouis quæſito colore huiuſmodi patrimonij nulli omnino faciāt,niſi prius de competenti beneficio fuerint prouiſi, vel aliunde habuerint vnde honeſtè viuant, Epiſcopi iudicio, eiuſdemque conceſſu ex ſcripto. Donationes animalium, & pecudum, boum, aliorumque mobilium, vltra ſtabilium, quæ promouendis aſſignantur à parentibus, & conſanguineis non reprobamus, dummodò in fraudem vectigalium legitimè impoſitorum non fiant, ſi qui autem in fraudem eas fortaſſe receperint arbitratu Epiſcopi punietur.

CAP. XI.

NOn autem infra annum à poſteriorum ordinum ſuſceptione, videlicet à Minoribus ad ſubdiaconatum, neque à Subdiaconatu ad Diaconatum & à Diaconatu ad Sacerdotium, niſi pro Eccleſiæ vtilitate, aut neceſſitate aliud expedire Epiſcopo videretur, ſed de huiuſmodi Epiſcopi diſpenſatione, tùm in literis dimiſſorijs, tùm etiam promotionis ſemper erit habenda mentio, ne litibus, ac iurgijs contra pauperes Clericos detur occaſio.

CAP. XII.

NOn furtiuè, hoc eſt ignorante ordinatore, & abſque ſuperioris licentia. Non per ſaltum, vt ſi ſubdiaconus ſit, faciat ſe ad ſacerdotalē ordinem promoueri, Diaconatus ordine prætermiſſo,

non extra tempora à iure ſtatuta, ſine Apoſtolica diſpenſatione, & tunc ipſius forma omnino ſeruata.

CAP. XIII.

DImiſſoriæ verò nullo pacto à Vicario Generali concedantur abſque mandato ſpeciali ipſius Epiſcopi. Ordinum ſuſcipiendorum dimiſſoriæ certo libro regiſtrentur. Non alibi quàm in Cathedrali præſentibus Canonicis, & publicè ſacrorum ordinum collationes fiant ad laudabilem antiquorum Canonum inſtitutum, quod in Eccleſia noſtra Domino bene iuuante in vſum reuocauimus.

CAP. XIIII.

OMnes admoneantur, cum promotiones debeant literis probari, vt receptorum ordinum facultates, ac alia legitima documenta penes ſe cautè cuſtodiant, ſcituri, quod non ſemper amiſſionis literarum excuſatio ab oneribus, & incommodis releuat.

CAP. XV.

EXaminatores ad ordines, vbi primùm ab Epiſcopo fuerint electi ſpondeant, ac iurent ſe munus ſuum fideliter, ſincerè, diligenterquè exequuturos, & nullum niſi idoneum ad ordines admiſſuros, nec ab examinandis aliquid, ne ſponte quidem oblatum recepturos.

CAP. XVI.

TAndem rogamus, & in Domino obſecramus ſucceſſores noſtros Epiſcopos, viles homines á tanto munere, ac dignitatis ſtatu reſpuant, eos tantummodò admittant, de quibus probabilis ſit coniectura; non ſecularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt gratum, atque fidelem Domini famulatum præſtent; hoc vitæ genus, ac inſtitutum elegiſſe, quoſq; ſcientiæ ſpes in Eccleſia noſtra honore dignos oſtendet.

CAP. XVII.

QVicunque autem poſthac in noſtra hac Ciuitate à nobis, vel noſtri permiſſu ab alio Epiſcopo in Clericalem militiam adſcriptus fuerit, vel altiorem ordinis gradum aſcenderit, ad menſem ex eo die, quo ordinem ſuſceperit, nomen ſuum in Clericorum librum referendum curet. Eum librum Archidiaconus Cathedralis noſtræ Eccleſiæ diligenter conficiat, & cuſtodiat; in quem quicquid ſingulis annis retulerit, id Epiſcopo deſcribendum dabit, vt eius libri exemplum etiam in Epiſcopalibus ædibus aſſeruetur.

DE

ex fornicatione prouueniente, verbis tamen quoad fieri poterit honeſtioribus, ac de alijs impedimentis admoneant.

C A P. III.

ILlud etiam potiſſimum intereſt, ſi Curati plebibus impedimentum, quod ex cognatione ſpirituali proficiſcitur ad præſcriptum extrauagantis Pij Sanctæ Memoriæ Quinti declaretur, idque non ſemel tantum, ſed pro loci, ac temporis opportunitate, quandocunque prodeſſe viſum fuerit. Sed caueant, nè rudes aliquando decipiantur, putantes honeſtatis publicæ iuſtitiam, vbi valida fuerint ſponſalia ad affines extendi, nam de conſanguineis tantùm intelligitur.

C A P. IIII.

SI contingat Matrimonium inter aliquos, qui diuerſæ ſint Parochiæ, vel Diœceſis contrahi: in vtraque denunciationes tribus continuis diebus ex præcepto Eccleſiæ, vel ex approbata conſuetudine feſtiuis inter Miſſarum ſolemnia quando maior populi pars in Eccleſia adeſſe ſolet omnino fiant, quæ non remittantur, niſi per Epiſcopum, & quando probabilis erit ſuſpicio poſſe malitiosè Matrimonium impediri: nec ante fiant, quàm ij quorum Matrimonium denunciãdum eſt illas denũciationes fieri poſtulent: eo autem die, quo poſtrema fieri debet Matrimonij contrahendi denunciatio, Matrimonium nè celebretur, niſi is nouiſſimus

uiſſimus dies ſit ante quadrageſimæ, aut Aduentus initium: Deinde mutuo conſenſu à contrahentibus prolato, his verbis vtatur ego vos in Matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Et caueat nè eos iungat, qui fidei rudimenta ignorant.

CAP. V.

SI verò alquando euenerit, vt Germanus, ſeu Gallus, Græcus, aut Hyſpanus in Ciuitate, & Diœceſi noſtra commorantes contrahere velint, quia fieri non poſſet, vt eorum domi ſollemnitates denunciationum huiuſmodi ſeruarentur: eo caſu, cum Alienigenæ iſti non habeantur pro vagabundis, illius Parochiæ intelligantur eſſe, in qua per aliquod tempus habitauerint, & ſecundum Canones domicilium contraxerint. Si igitur noti ſint, ipſorumque mores non reprehendantur, ad matrimonia contrahenda debent admitti præſertim ſi ſtatutis à Iure temporibus ſua peccata confiteantur, ſi ſacroſanctam ſumant Euchariſtiam, ſi laudabiliter uiuant, ſi alias in eorum regionibus contraxiſſe non dicuntur. Idque totum Curatorum diligentiæ relinquitur, qui de omnibus Epiſcopum certiorem faciant, vel eius Vicarium, vt ſi quid emerſerit difficultatis, ipſi pro ſua in Deum pietate, atque prudentia illud agendum conſtituant, quod cauſa expoſcit.

CAP.

CAP. VI.

DEnunciationes verò elapſo menſe, niſi de nouo fiant intelligantur non valere: ſed antequam matrimonium inter aliquos contrahendum in Eccleſia denuncietur, inquirant diligenter Præfecti Curati, an aliqua fortè ſubſint impedimenta, id ab eis perſcrutando, qui rei gerendæ videbuntur notitiam habere.

CAP. VII.

ET quamuis Matrimonia à filijs familias ſine conſenſu parentum contracta, ſi Canonicũ aliud non obſiſtat impedimentum, valida reputẽtur, ac firma, quia nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atq; prohibuit, eorum prius voluntatem explorent, ſiuè parentum, ſiuè aliorum, ad quos futuri ſponſi, vel ſponſæ tutela, vel cura cognoſcetur pertinere: qui ſi non conſenſerint, paternè ſponſos admoneant, ne ſuis inuitis, qui rem fortaſſe melius perpendunt aliquid deliberare velint: ſed parentibus obtemperent, vti decet. Si verò nihil horum inuenerint huiuſmodi, ad Matrimonij ipſius contractum per eos erit in domino procedendum: illud ſollicitè curantes nè clandeſtinè fiat, quantum in eis erit, neuè Matrimonii libertas, vllo pacto violetur.

CAP. VIII.

CVm ſponſi benedicendi ſunt, vtrumque ſacerdos benedicat, quo in benedicendi munere Miſſæ ſacrum pro ſpõſis fiat, vel commemoratio ſaltem, ſi huiuſmodi dies feſtus intercedat, vt propria diei Miſſa intermitti non poſſit. Quæ quidem ſponſorum benedictio ex præſcripto Sacri Tridentini Concilii à proprio Parocho fieri debet, quacunque conſuetudine etiam immemorabili non obſtante. Quod ſi quis ſacerdos, abſque ordinarii, vel proprii curati facultate ex ſcripto obtenta ſponſos matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tamdiù ſuſpenſus permaneat, quamdiú ab ordinario abſoluatur.

CAP. IX.

TAmetſi Sac. Concil. Tridentinum hortetur coniuges ante contractum matrimonium per verba de præſenti, vt in eadem domo non cohabitent: Nos tamen cum experientia magiſtra didicerimus, hoc non ſufficere ad euitanda grauiſſima peccata, quæ per ſponſorum incontinentiam committi poſſunt, vt omnem prorſus peccati anſam tollamus, hoc præſenti decreto præcipimus, vt ſponſus, & ſponſa excommunicentur ſtatim, ac alter alterius limen fuerit ingreſſus, vel ſimul in alienam domum conuenerint, nec antea abſolui poſſint, niſi publicam pœnitentiam fecerint. Inuigilent præterea Carati, vt ſi qui ſint in

ſuis

ſuis parochiis generis huiuſmodi ſceleratorum hominum nobis, vel Vicario noſtro, quámprimum denuncientur.

CAP. X.

SI quos animarum Curatores in gradibus prohibitis ſine diſpenſatione legitima nouerint contraxiſſe, eos admiſſi ſceleris primò admoneant mox ad Epiſcopum deferant, vt eorum ſaluti opportunè prouideri poſſit.

CAP. XI.

ADmoneāt Præfecti Curati fidelem populum, vt piè ad ſacramentum iſtud accedant, dies, menſes, & annos non obſeruantes: Nam qui certis diebus, ſiue menſibus, ſiue annis volunt, aut nolunt aliquid agere, vel inchoare, eò quod ſecūdum vanas impiarum quarundam vetularum fabulas, fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora inutiliter, & ſine cauſa ſibi damnationem operantur: Virtutes enim bonos dies viuenti faciunt, vitia malos.

CAP. XII.

LAudabilem noſtræ Eccleſiæ conſuetudinem, qua ſponſi tribus ante diebus, quàm copulentur peccata proprio ſacerdoti confitentur, & ſacramentum Euchariſtiæ ſumunt omnino volumus ab omnibus obſeruari.

CAP. XIII.

POpulus admoneatur, vt impedimenta ſub pœna excommunicationis ſi qua ſunt reuelentur: & ſi dubium aliquod emerſerit, ſacerdotes hæc exequentes nos conſulent, & ſæpiſſimè hoc in Eccleſia Populo inculcetur. Ne matrimonia intra gradus prohibitos contrahant, & multò magis conſumare ne præſumant, quia ſpe diſpenſationis obtinendæ omnino carebunt; & caueant nè matrimonium, abſque Epiſcopi facultate celebrent.

CAP. XIIII.

CEſſent ſacerdotes ſecundas nuptias benedicere, cum illa benedictio nuptiarum iterari non poſſit, ſed abſque illa ſollemni benedictione Miſſa tunc celebretur, reiectis omnibus, & quibuſcunque abuſibus, & ſuperſtitionibus à Dæmonis arte inuentis.

CAP. XV.

CLerici qui continentiam profiteri debent coniugales copulas, ſiuè matrimoniorum contractus, tamquàm huiuſmodi officij proxenetæ procurare non ſtudeant, ſi contrafecerint grauiter ab Epiſcopo puniantur.

CAP. XVI.

QVoniã multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, & vt improbi ſunt ingenij prima vxore relicta aliam, & plerumq; plures illa viuente, diuerſis in locis ducunt: erit diligenter

ligenter aduertendum per Ciuitatis noſtræ animarum Curatores, ne ipſi huiuſmodi hominum matrimoniis interſint, & quia ſæpè cōtingit aliquos præſertim milites, qui nubere volunt, fueruntquè cum alia matrimonio iuncti primam vxorem eſſe mortuam affirmare, vel contra mulieres, etiam aliquādo de viris ſuis hoc ipſum aſſeuerare, idquè teſtibus probare coram Epiſcopo nituntur perditorū hominum teſtimonia comparantes, vel data pecunia, vel amicorum execrabili beneuolentia, attentè Vicarius noſter Generalis perſpiciat (Cum certus de prioris vxoris obitu nuncius ex Canonum diſpoſitione ſit neceſſarius) nè iſtorum dolo turpiter decipiatur, videat propterea, cuiuſnam ſint exiſtimationis, qui talia petunt.

Qui teſtes, quæ deponant, an verò ſimilia, an inter ſe contraria, & inuicem pugnantia. An varia, quo vultu, qua trepidatione, an affectatè loquantur: An ſint omni exceptione maiores. Quæ fama, qui rumor in Ciuitate, vel loco ſit, vbi matrimonium erit contrahendum, de morte eius, qui mortuus à volentibus contrahere contenditur, quam ſcientiæ cauſam reddant, ſi mortuum benè nouerint, quæ ſigna mortis viderint in eo, ſi interfuerint ſepulturæ ipſius, ſi audita referant, qui conteſtes, quis obitus dies, de menſe interrogentur, de anno, de Eccleſia, An parochialis, an fortè regularium, & ſimilia, quæ pro ſua conſcientia iudex animaduer-

nim aduertere debebit; ne lenociniis anſam præbeamus: deinde quod iuſtum ſibi videbitur exequatur.

CAP. XVII.

NOn permittant Præfecti Curati Tabelliones in Eccleſia Capitula matrimonialia conſcribere, neq; aliquid ſtipulare, ſed ſollemnitatibus in Eccleſia peractis ab animarum Curatoribus, in ſponſi, ac ſponſæ coniunctione, & benedictione deuenient, in qua non amplius vtantur Vmbellis, nec aliis ſacris veſtibus: nec vno ſacro benedicantur; ſed ſinguli ſponſi, & ſponſæ ſeparatim niſi aliter Epiſcopo videbitur. Ad ipſius verò Eccleſiæ valuas de his, quæ geſta fuerunt, poterunt notarij ſi velint inſtrumenta conficere.

CAP. XVIII.

IRreuerentia illa ab Eccleſia Dei omnino tollatur, qua ſponſi ſe inuicem deoſculantes, & quidem aliqui; ſine vlla modeſtia riſum mouent, & murmurationem perſæpè, non ſine piorum hominum offenſione.

CAP. XIX.

VErba ad benedicendum ipſi animarum Curatores proferant, non ſponſus. Sponſiſq; ſub Anathematis pœna prohibeant, per vnam Eccleſiæ ianuam intrare, & ab alia exire: maleficia, & faſcinationes ad impedienda matrimonia, vel di-

rimenda adhibere, aut ſuperſtitionibus vti: Admoneantq; eos, nè alijs anni temporibus, quàm à Sacro Conc. Trid. prohibitis à Nuptijs contrahendis abſtineant.

C A P. X X.

ANimarum Curatores librum habeant in quo, poſt celebrationem Matrimonij, immediatè deſcribant coniugum, & teſtium nomina, & cognomina, diemquè & annum, & locum contracti matrimonii, & peractas etiam denunciationes, quem diligenter apud ſe cuſtodiāt, & vbi totus dictus liber ſcriptus fuerit in fine anni deſcribendum tradant, & in Archiuio Epiſcopali conſeruetur, vt illum quando opus fuerit in teſtimonium rei geſtæ Cancellarius Epiſcopalis edere poſſit.

C A P. XXI.

PRo diſpenſationum Matrimonialium exequutione nihil quicquam prorſus muneris, præmijuè etiam ſpontè oblati, ac ne pro labore quidem, qui in teſtibus ea cauſa examinandis, aliiſq; teſtificationibus excipiendis ponitur, Epiſcopalis Vicarius capiat. Notarii verò pro examine teſtium, quartā duntaxat partem aurei ad ſummum capiant licet.

C A P. XXII.

PRoſtitutas fœminas, Meretriceſuè in Cauponis, diuerſoriis, Ganeiſquè ad quæſtum alere, cum id, & graui Dei offenſione, & magno anima-

rum

rum detrimento, & diſciplinæ Chriſtianæ iniuria fiat, hoc decreto prohibendum cenſuimus. Quãobrem ne quiſquam, vel caupo, vel tabernarius, vel qui cœnaculariam facit, illas in ipſis Cauponis, ac diuerſoriis habeat, alatuè ad turpem quæſtum. Qui contrafecerit, poſt huius decreti promulgationem tamquã is, qui in ſtatu damnationis, notoriè verſatur, præmiſſa monitione, interdicti pœna afficiatur, & aliis præterea etiam grauioribus arbitratu Epiſcopi.

CAP. XXIII.

SI quis ex aliena Diœceſi ſecum duxerit mulierem, quam ipſe vxorem ſuam eſſe affirmet, ex infamia tamen, vel probabili aliqua coniectura animarum Curator illam eſſe concubinam ſuſpicetur, ab eo legitimi fidem Matrimonii requirat, quam ſi is non oſtenderit, vtriuſque nomina, & cognomina ad Epiſcopum deferat, vt valeat opportunius prouidere.

CAP. XXIIII.

PRæfectus Curatus omni diligentia, ac vigilantia inquirat ſint nè in ſua Parochiali vicinia Concubinarii, an non, & ſi eſſe compererit, eos perinde, ac pater filios moneat, vt concubinas eiiciant, & ſi quidem matrimonio iuncti fuerint, in eo ſanctè ac religiosè, vt par eſt viuant: ſin minus ſe continere noluerint, nubant: vt ſi perfectiora non attingunt, ſaltem, ſecundum indulgentiam

conceſſo

conceſſo matrimonio vtantur. Qui non paruerint eos ſub pœna ſuſpenſionis ab officio vel beneficio nobis, vel generali Vicario noſtro denunciare teneatur, vt nos contra eos iuxta Sacri Conc. Trid. decreta excommunicatione, aliiſq; Canonicis pœnis ſeuerè agamus.

DE VITA ET HONESTATE *Clericorum.*

CAP. I.

CLERICI, ſi eorum nomina conſiderent, in ſortem nempè Domini vocati ſunt, Diuinorumque Myſteriorum diſpenſatores effecti, à ſecularibus curis ſegregati, & in altiorem gradum euecti, ſciant ſe propterea non ad commoditates, aut voluptates, ad inertiam, atque ignauiam, ſed ad ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ Militiæ labores vocatos eſſe, quare ipſis diligentiſſimè prouidendum eſt, ne à recta viuendi via, & ab ſui muneris ratione deflectant, & ita eorum vitam, moribus, habitu, geſtu, conuerſatione, ac inceſſu componant, atque accomodent: vt in eos fidelis populus, tanquam in ſpeculum oculos conijciat, exemplaque probitatis, virtutis, ac veræ pietatis ſumat, nè tanquàm ſal infatuatum conculcentur

centur. Nos itaque Clericis noſtris certas rectè viuendi formulas præſcribimus, ex Veterum Canonum fontibus, & à Sacroſancta Tridentina Synodo ſummatim exhauſtas, vt fideles noſtræ Curæ concrediti non minus vitæ exemplis, quàm doctrinæ præceptis commoti ad virtutis, & pietatis immitationem excitentur.

CAP. II.

TRid. igitur Concilij auctoritatem ſecuti hæc pauca, ſed vtilia ſtatuimus, obſeruariquè mandamus. Præsbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæteriquè Clerici clericali tonſura ſint inſigniti, ad eam formam, quam ratio vniuſcuiuſque ordinis, Epiſcopi arbitrio poſtulabit, ita ſint abraſo capillo, vt tonſura conſpicua ſit omnibus. Comam, & barbam, ne ſtudioſè nutriant, ſed eam ab ſuperiore labro ita recidatur, vt pili in ſacrificio Miſſæ Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem ſumentem non impediant.

CAP. III.

DEridendam illam conſuetudinem, à noſtro Clero procul arcere volentes, quam ſumunt à laicis quidam clerici, Presbyteriquè nonnulli, vt barbam circumquaq; radant, eam tantummodò, & prolixiorem quoad fieri poteſt in ſuperiore labro nutrientes relictis quoq; pilis aliquibus, ſed paucis ad inſtar cuſpidis ſub ore in inferiori parte more Turcarum horribili quodam modo: præcipimus

pimus ſtrictiſſimeque mandamus omnes in clero quicunque ij ſint ab huiuſmodi vanitatibus abſtinere: barbam enim vel totam radant, vel æqualiter tondeant, qui contrafecerit vnius auri pœna pro qualibet vice mulctetur, vel carceris arbitrio Epiſcopi.

CAP. IIII.

EX Tridentinæ Synodi præſcripto præcipimus, vt ſacerdotes omnes, cuiuſcunque gradus, & conditionis ſint Diebus Dominicis reliquiſque feſtis ceſſante legitimo impedimento (à nobis approbando) Miſſam celebrent, vt ſalutare, diuinumque hoc ſacrificium pro viuis, & defunctis offerentes, ſupremum Deo Optimo Maximo cultum reddant, Eccleſiam militantem iuuent, & triumphanti eximiæ cauſam præbeant iucunditatis. Ij autem frequentius celebrent, quos vel beneficij onus, vel officij ratio, vel Eccleſiæ, cui inſeruiunt conſuetudo ad hoc munus crebrius inuitat, ac cogit. Suſpēſi verò, vel infirmitate aliqua, vel ſenectute, vel aliàs legitimè impediti ſupradictis diebus communicent.

CAP. V.

DIaconi verò, ac ſubdiaconi bis ſaltem, in minoribus conſtituti ſemel ſingulis menſibus, & in tempore quadraginta horarum ſacram Euchareſtiam ſumant. Qui ſine neceſſaria cauſa id facere recuſarit à Curato officij ſui admoneatur, & ſi

in contumacia perſeuerauerit, ad Epiſcopum deferatur: qui verò Altari miniſtrat omnibus diebus feſtis, etiam communicet. Idem autem facere teneantur omnes præter ſacerdotes celebrantes quotieſcunque Epiſcopus ſolemniter celebrarit. Confiteantur autem ijs tantùm ſacerdotibus, quos ad audiendum eorum confeſſiones idoneos Epiſcopus comprobabit, ſacram verò Euchariſtiæ Communionem in Eccleſia Cathedrali diebus feſtis percipiant, idque in Miſſa conuentuali: illius autem rei fidem tertio quoque menſe exhibebunt.

C A P. VI.

SAcerdos, Clericuſuè ſacris initiatus, aut Eccleſiaſticũ beneficium obtinens horarum Canonicarum officio cum aſtrictus ſit, eaſquè quotidie in Eccleſia publicè, vel priuatim domi ſuæ, aut vbicunque fuerit perſoluere teneatur, niſi legitimo impedimento excuſentur. Meminerint tamen ſe febri, morbouè aliquo, vel aduerſa valetudine leuiter aliquando laborantes, non iuſtam propterea excuſationem habere: quamobrem illud intermittant, omittantuè. Itaque quando corporis infirmitate horum quilibet affectus eſt, ipſe pro ſua conſciẽtia rectè videat, quid præſtare poſſit, ac nè omittendo grauiter peccet, & beneficij ſi quod habet fructus ſuos non faciat, & de Conſilio confeſſarij ſacerdotis, ac vbi adhiberi poteſt, medici item: niſi is ita grauiter morbo laboret, vt planè

ſentiat,

ſentiat, ſe illius grauitate impediti, quominus ſtatas preces horarias recitare poſſit.

CAP. VIII.

NOn ſufficit autem has preces horarũ Canonicarum vtcumq; labijs immurmurare, ſed vt in Concilio Agathenſi cautum eſt, & in Lateranẽſi Concilio Innocentius Tertius Pont. monuit, Cléricus ex intima animi pietate, eleuata, ſupplicique mente in ſolum Deum nocturnum hoc, diurnumque ſuæ ſeruitutis penſum perſoluat. Cùm enim non tantùm pro populo, vt inquit Apoſtolus, verùm etiam pro ſe ipſis, qui circumdati ſunt infirmitate, orandum eis ſit: id non modo ſine intermiſſione, ſed etiam ſtudioſè, & deuotè agere debent. Quare admonemus omnes & ſingulos noſtræ Diœceſis, & Vrbis Caſtellanetenſis Eccleſiaſticos viros, vt cum eiuſmodi precum Canonicarum officium priuatim præſtant, ne deambulando, aliudue agendo id muneris expleant: in Eccleſiam ſi ei domus ſit coniuncta, aut ſaltem Domi in locum quoad fieri poteſt precationi aptiorem, ſe recipiant: vt animo qui deambulationibus, & aliarum rerum actionibus diſtrahi, quandoquè ſolet, ſe colligentes, ac pietatis ſtudio accenſi, orent ſpiritu, orent pariter, & mente: quodquè ore pſallant, ita ſpiritu pſallant, & mente in conſpectu Domini, à quo vberrimum huius debitæ pietatis ſtudium capiant.

CAP.

CAP. VIII.

QVi beneficium obtinet, ſi poſt ſex menſes, ab eo die, quò illud eſt conſequutus diuinum officium Iuxta Pij Quinti conſtitutionem non recitauerit, beneficij fructus per id tempus, ſuos non faciat, quod Eccleſiæ fabricæ, aut pauperum elargitionibus ex nunc cedere debere adiudicamus. Quod ſi admonitus diutius perſtiterit contumax, in eum prout iuris eſt Epiſcopus animaduertat. Qui autem ſacris initiati ſunt, nec beneficium obtinent; ſi hanc conſtitutionem violauerint, præter diuinam ob reatum lætalis ſceleris vltionem, pœnis etiam Epiſcopi arbitratu mulctabitur.

CAP. IX.

OMnes verò Clericos noſtros in minoribus ordinibus conſtitutos in Domino vehementer hortamur, vt laudabilem noſtræ Eccleſiæ conſuetudinem, quotidie Beatiſſimæ Virginis horarias preces perſoluendi deuotè, ac religiosè ſeruent, eò gratius Deo obſequium præſtituri, quò celerius diuino ſeruitio mancipantur.

CAP. X.

LOquantur, quæ decent ſanam doctrinam, ſintque ſilentio diſcreti, vtiles, & in verbo cauti: nè aut tacenda proferant, aut proferenda reticeant: nam ſicut incauta locutio in errorem pertrahit: ita indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri

poterant in errore derelinquit. Et quoniam ſunt nonnulli, quorum os maledictione plenum eſt, videant iſti, nè ſi inuicem ſe mordeant, inuicem conſumantur: illudque meminerint ſuſurronibus odium adeſſe, inimicitiam, & contumeliam: ſuntque Deo detractores odibiles, & abominationes hominum. Eſtque proprium ſtultitiæ aliena vitia cernere, & ſua obliuiſci. Maledicos huiuſmodi Epiſcopus, vel eius Vicarius ſuo arbitratu condigna pœna ſeuerè coerceant.

CAP. XI.

CAueant ſacerdotes confeſſarij, animarumq; Curatores, nè amittere humanam gratiam formidantes rectà liberè loqui pertimeſcant. Nam iuxta veritatis vocem, nequaquàm gregis cuſtodiæ Paſtorum ſtudio, ſed mercenariorum vice deſeruiunt, qui veniente lupo fugiunt, dum ſe ſub ſilentio abſcondunt. Clament igitur, & nè ceſſent, & quaſi tuba exaltent vocem ſuam, & annuncient populo ſcelera eorum, vt ſi qui ſunt adulteri, fornicarij, ſacrilegi, concubinarij, bonorum Eccleſiaſticorum detentores, occupatoreſuè, Blaſphemi, ac ſimilibus irretiti criminibus aliquando, vel reſipiſcant, aut ſi moriuntur in peccato ſuo, & inſonuerint ipſis Buccina, eorum ſanguis de ipſorum manibus à ſupremo Iudice non requiratur; illud certò ſcientes, quod non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus comedit oues, & paſtor neſcit.

CAP.

CAP. XII.

CAueant autem ſacerdotes, Clericiuè omnes, nè Ebrietati, & Crapulæ dediti ſint: Hoſpitia publica, & Aenopolia, nè ingrediantur: neque omnino laicis compotationibus ſe immiſceant, & commeſſationes huiuſmodi vitent, quibus ſæpè fit, vt contemptui ſit Eccleſiaſtici miniſterii dignitas, ex hac conſuetudine, nec quemquam inter comedendum ad bibendum inuitent.

CAP. XIII.

CLerici omnes, quales, quales illi fuerint, clericalem habitum geſtent ordini ſuo, ac dignitati congruentem, qui intra menſem huic conſtitutioni non paruerit, ſi beneficia obtinuerit, illis iuxta Fel. rec. Sixti V. conſtitutionem priuetur, quorum Collatio ad Romanam Curiam ſpectet. Alii verò ſi beneficium non habeant, clericali priuilegio gaudere non poſſint.

CAP. XIIII.

IN habitu nec ſtudioſius exquiſita cultus elegantia, nec nimis abiecta negligentia, & affectatæ ſordes appareāt. In omni veſtitu color tantùm niger adhibeatur. Omnem habitus, & ornamenti nouitatem Clerici fugiant. Serico veſtimento non vtantur, iubemus verò illos laneum, & ordini decorum veſtimentum adhibere. Collare, quod dicunt, & tela, quæ ad manus reclinatur ſimplex ſit, ac modicè lata non rugoſa, & quæ

ſuper-

ſuperfluum redoleat artificium, & vanum. Exterior veſtis ſimplex, ac talaris erit: interior eiuſdem generis, ad talos vſque demittatur. Pileos præſertim turbinatos, & ocreas, & Chirothecas in Eccleſijs maxime tempore diuinorum non habeant, neque ſubireta, niſi valetudinis cauſa.

in Synodo ... an: 1635. fol: 3. Tit. 12. cap: 9.

CAP. XV.

IN itinere verò illis vti liceat habitu contractiore, & ad iter accomodato, ſed ſimplici, & in quo honeſtas, & decorum Ordinis eluceat, turgidis caligis, & diſſectis abſtineant: calceos, & crepidas ad elegantiam non incidant. Annulum non induant, niſi quibus propter officij munus, aut honoris gradum id conueniat, quo loco vnico, nec magni precij, & digito dexteræ manus quarto vtantur: eum verò, dum Miſſæ ſacrificium facit ſacerdos deponat.

CAP. XVI.

CLerici, Præsbyterique omnes, cum in Eccleſia verſantur, quo tempore ſuperpelliceum induere non debent, ne ſint ſine veſte exteriore, præſertim horis, quibus diuina celebrantur: aut populus, ad Eccleſiam accedere ſolet, nec verò abſque ea etiam in Ciuitate, nec in Diœceſanis locis prodeant, niſi cum eos pedibus iter facientes, viæ difficultas, & longitudo aliter cogit.

CAP. XVII.

NE Clericus, neuè ſacerdos cuiuſuis ordinis pro foribus Eccleſiæ ſtet, aut officinas obeat, aut via incedat, aut extra Eccleſiam exeat, ſuperpelliceo indutus, niſi cum proceſſiones, aut aliud Eccleſiaſticum munus, & officium obit, quod ſuperpelliceum requirat. Quod quidem non lacerum ſit, non ſordidum, non ita elaboratum, vt artificii ornatus in humeris nimius appareat.

CAP. XVIII.

CLericus, qui amictu clericali indutus incedit, nè in propinquorum, nè parentum quidem obitu, veſtes lugubres more laicorum induat, geſtetquè. Neque verò veſtis formam, aut panni genus, quo clerum Vniuerſum vti moris eſt, commutet, ſed pium erga propinquos mortuos charitatis ſtudium, officiumquè præſeferat omni alia ratione, quæ cum clericalis ordinis decoro, dignitateque omnino conueniat.

CAP. XIX.

CLericorum arma ſunt orationes, & lachrimæ: idcirco edicimus, nè Clerici arma cuiuſuis generis ad offenſionem, vel etiam ad defenſionem ferant: exceptis cultellis, ad domeſticum vitæ vſum accomodatis: niſi forte extra Ciuitatem ſuſpectis locis iter eis faciendum ſit: nec ſine licentia Epiſcopi ſcripto impetrata, ipſis vti liceat: non tamen

X publicè,

publicè, niſi rei, aut facti neceſſitas poſtulet, omnino autem baliſtam, haſtas, ſclopetas, & alia huiuſmodi generis inſtrumenta ne deferant, atque adeò nullum armorum genus prohibitorum. Si quis autem breuiores ſclopetas, vel pugiones, vel alia, quæ ad trium palmorum menſuram non perueniunt, árma geſtauerit, aut gladios prohibitos ſecum habuerit, triremis ſupplicio per tres annos damnetur, vel alijs pœnis arbitratu Epiſcopi puniatur.

CAP. XX.

PAcem cum omnibus habeant, quantum in ipſis erit: tranquillitati, ac quieti ſtudeant: & non modò ipſi per ſe rixas, & iurgia, æmulationes, contentiones, & lites vitent: ſed diſcordes etiam Ciuium animos ex officio concillent, ſtabiliq; fœdere connectant. Amici commiſſa non reuelent. Præpoſitis ſuis obediant. Proximum in negotio non circumueniant. Creditoribus ſatisfaciant. Fidem non fallant. Pacta ſeruent. Quod iureiurando promiſerunt adimplere ſtudeant: ne periurium incurrant, at propterea pœnas contra periuros iure inflictas ſubeant.

CAP. XXI.

SCeleratos, & facinoroſos homines Eccleſiaſtici viri, neque domi, neque alibi recipiant.

A mendacijs caueant: os enim quod mentitur occidit animam. In iudicium euocati præſto

ſint poſcenti ſe rationem reddere. Cauillationes effugiant. Inanibus ac ſuperfluis impenſis alios eorum cauſa prægrauari non ſinant. Videant deniquè quomodo cautè ambulent, vt non vituperetur miniſterium noſtrum: attendentes quod malorum conuerſatio bonos etiam corrumpit: quanto ergo magis eos, qui ad vitia proni ſunt? prudentia opus eſt, quia non debet ſacerdotum ſtultitia ſub nomine ſimplicitatis excuſari.

CAP. XXII.

Clerici perſonati non incedant: Choreas priuatas, aut publicas non agant, nec ſpectabũt: fabulis, comœdijs, & haſtiludijs, alijſuè prophanis, & inanibus ſpectaculis, non intererunt: ne aures, & oculi ſacris officijs addicti, ludicris, & impuris actionibus, ſermonibuſquè diſtracti polluantur.

CAP. XXIII.

Clericalis ordinis hominibus omni genere ſaltationis, & ludi præſertim alearum, & teſſerarum, ac talorum, & taxillorum interdicimus. Nec ſolùm ludere vetamus, ſed eos ludorum ſpectatores eſſe nolumus: aut quemquam ludentem in ædibus ſuis permittere.

CAP. XXIIII.

Voniam verò omnibus miniſtris Dei venationes, & ſaluaticæ fatigationes cum canibus, & accipitris interdicuntur: con-

trauenien-

trauenientes Clericos, vel Sacerdotes, & alijs ſacris Eccleſiaſticis ordinibus initiatos Venatores, Ordinarius ex antiquorum Canonum diſpoſitione debita pœna coerceat, eoſdemque domi ſuæ, vel alibi canes habere non permittat.

CAP. XXV.

CLerici in eo ſe officio ne exerceant, vt vllas mulieres etiam quauis dignitate Illuſtres, dôceant legere, ſcribereuè, aut canere, alioué cuiuſuis generis muſico inſtrumento ſonare: niſi ij ſint, quibus ætate, moribus, & vita probatis, Epiſcopi iudicio id permiſſum eſt, facultate ab eodem ſcriptis data. Nè libris de muſico cantu obſcœnè, vel parum pudicè ſcriptis illi vtantur.

CAP. XXVI.

MEdendi artem non exerceāt, propter irregularitatis periculum. Nocturno tempore ſine cauſa, vel minus quàm honeſta, & rationabili per Ciuitatem ne vagentur, nec ſine lumine, quod ſi cum armis, vel canendo, vel inſtrumenta aliqua pulſando per noctem deambulauerint: aut id agentibus Comites ſe præbuerint carcerentur, ac arma, & inſtrumenta, vel ſimilia amittant. Si quis autem à quouis fuerit percuſſus infra duodecim horas denunciare nobis, vel noſtro Vicario teneatur, nè percuſſor in excommunicatione impunis exiſtat, aliàs arbitratu noſtro punietur.

CAP.

CAP. XXVII.

NE Clerici, vel alij Eccleſiaſtici viri, cum neces, & cruciamenta improbis hominibus, magiſtratuum iudicio illata, multitudini ſpectanda proponuntur vllo modo interſint, niſi eorum pia opera conſolandi officium vſui futurum illis ſit, qui ad ſupplicium ducuntur.

CAP. XXVIII.

SAcerdotem, Clericumquè cuiuſuis ordinis, in canticis, Hymnis, Pſalmis, cæteriſque Eccleſiaſtici cultus officijs religioſa modulatione concelebrandis, diuiniſquè laudibus ſanctè concinnendis, ita verſari conuenit, vt voce ſua, ſacris dicata abuti non debeat, ad prophanas cantiones, & modulationes, atque ad voluptuarias, delicioſaſquè laicorum oblectationes. Quamobrem caueat, nè in Nuptialibus, laicalibuſuè conuiuijs, aut menſis, canendo operam ſuam nauet, cùm præſertim clericalem hominem inter epulas canere, vetere Canone planè interdictum ſit.

CAP. XXIX.

CLerici omnes cibum ſumpturi menſam benedicant, ſumpto verò cibo gratias Deo pro acceptis muneribus agant. Caueant item nè in menſis ſcurrilia, aut ridicula recitent, quæ à grauitate clericali, ac ſacerdotali ſint aliena.

CAP. XXX.

VT flagitij occaſionem, quæ in Cauponis, & Tabernis deeſſe non ſolet, clericis adima-

mus, cauponarum aditu, & vſu eis omnino interdicimus, niſi in itinere neceſſitatis cauſa, quo loco cum mulieribus, nè menſæ accumbant. Neque in cellis vinarijs, ad tabernariorum, atque cauponum inſtar, vino vendendo præſint. Neque verò, vt plerique ſolent per plateas Ciuitatis vagentur, neque tonſtrinis, vel aromatarijs, vel aliis artificum vel vendentium officinis tempus otiosè conterant, & nè labia diuinis laudibus conſecrata, ſcurrilia potius, & quæ ad rem non pertinent, ſonare audiantur.

CAP. XXXI.

NEmo Deo militans implicat ſe negotiis ſecularibus: vt ei placeat, cui ſe probauit. Idcirco edicimus: Ne Clerici ſacris præſertim initiati, aut Eccleſiaſtico Beneficio præditi coram ſeculari Iudice, aduocati, aut procuratoris nomine cauſas agant: niſi ab aliis in Iudicium vocati, ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam ſi neceſſe erit, & miſerabilium perſonarum, quæ ſe defendere nequeant, cauſas ab Epiſcopo facultate prius ſcripto impetrata tueantur. Nè in prophanis negociis officium tabellionatus exerceant, in mercaturis, & huiuſmodi negociis nè ſe interpretes, vel medios interponant. Aliena prædia negociationis cauſa, nè conducant, nec annuos emant olearum fructus: Eccleſiaſtica autem prædia poſſint neceſſarii victus ſui, ſuæq; familiæ gratia conducere,

ducere, Epiſcopi facultate. Ab omni alio negociationis genere omnino abſtineant. Ne aliorum tutelâ in ſuſcipiant præterquam conſanguineorum, & miſerabilium perſonarum, & cum licentia Prælati. Hortamur etiam ne pro aliis ſub quouis prætextu fide iubeant.

C A P. XXXII.

NE alicuius Principis, aut alterius negotiorum procurator ſit Clericus vllus, ſine facultate ab Epiſcopo prius per litteras impetrata ſingulis annis renouanda. Neuè parum memor ordinis, ac dignitatis ſuæ, ſit in famulatū laicorum, etiam Principum, eorumuè quibuſuis aliis obſequiis, niſi cui ex cauſa, & ad officium ſacerdotali munerē non indignum, Epiſcopus huius rei poteſtatem ante ex ſcripto fecerit. Huiuſmodi autem licentiæ ſcripto permiſſæ quotannis renouentur alioquin irritæ, ac nullæ ſint. Neuè Præcurſor, aut aſſecla fœminarum, aut eis diſcumbentibus adſiſtat, aut ancilletur. Nos enim, vel noſter Vicarius in huiuſmodi vilium perſonarum genus ſeuerè, & acriter animaduertemus.

C A P. XXXIII.

NVllus Clericus abſque literis dimiſſorialibus extra Diœceſim egrediatur: Libellos, quos vocant famoſos non conſcribat; ſi quis contra fecerit; aut quoquomodo promulgarit ſeueriſſimē ab Epiſcopo mulctetur.

CAP.

CAP. XXXIIII.

NE Ieſu Chriſti Domini noſtri patrimonium, cuius expenſi rationem, ante diuinum eius tribunal reddituri ſumus, pompæ, luxui, cupiditati, libidini, vel turpitudini deſeruire videatur, à menſis oppipare apparatis, & à faſtuoſo ſupellectilis vſu omnino alienus eſſe debet quilibet Dei miniſter. Omnes igitur Eccleſiaſticos homines noſtræ curæ commiſſos ad frugalitatem ſeruandã paterna auctoritate hortamur, vt bona, quæ Dei ſumma bonitas, Eccleſiæquè benignitas ipſis ſuppeditat, ad pauperum etiam commoda, & ad publicum Dei templorum ornamentum conferant.

CAP. XXXV.

CLericorum habitatio, & domeſtica conuerſatio Eccleſiaſticam honeſtatem, & diſciplinam redoleat, familiam non habeant, niſi rectè, pieque inſtitutam, optimis moribus ornatam, cultu, ac veſtitu moderatam. Picturas prophanas, ac laſciuas à ſuis ædibus penitus remoueant. Sobriè itaquè, & caſtè, & piè ſemper, & vbique viuant, ſuæ memores dignitatis, de qua Dominus, ac Redemptor noſter ait, vos eſtis lux mundi &c. & lucerna ſuper candelabrum poſita, nè igitur committatis, vt vlla in parte Dei lucem in vos collocatã peccatorum veſtrorum tenebris obſcuretis.

CAP. XXXVI.

SVnt qui ſcurras in Conuiuijs, & Commeſſationibus agunt, ſunt qui Eccleſiam Dei, quæ domus orationis, & benedictionis eſt, murmurationis, & detractionis, ſuffugiorumquè locum faciunt. Sunt deniquè leues quidam, qui in plateis, & Ciuitatis vicis obambulant vagis oculis, effræni lingua, petulante inceſſu, & leuitatem animi, impudentiamquè oſtendunt, indigni prorſus, qui Clerici nominentur. Clerici enim re ipſa ſunt, qui diuinam legem, die noctuquè meditantur, & pietatem, ac Religionem, quam habitu exteriore profitentur, vitæ integritate, & Innocentia comprobant.

CAP. XXXVII.

CLerici omnes, vt legem Domini, in cuius ſorte ſunt, dies, noctesquè meditari poſſint, habeant ſacrorum librorum ſi non copiam, certè neceſſarium delectum, omnino verò teſtamentum vetus, & nouum: Cathechiſmum Romanum, ſacrum Tridentinum Concilium, Cõſtitutiones Prouinciales, has etiam noſtras Diœceſanas; ac pios aliquos libellos ex approbatis illis, qui ad Chriſtianam diſciplinam maximè conducunt. His animarum Curatores addant homilias, & de caſibus conſcientiæ illam ſummam, quam Epiſcopus præcipuè probarit. Qui his libris carere Inuentus fuerit, ſeuerè à nobis puniatur.

CAP. XXXVIII.

Attendant igitur Eccleſiaſtici viri omnes huius noſtræ Diœceſis lectioni ſacræ ſcripturæ, & exhortationi, & doctrinæ, quæ conuertens animas lucerna eſt pedibus noſtris: linguam ſaltem Latinam non ignorent, vt pro munere ſuo quiſque ſatisfaciat, ne ſibi fortaſſe dici contingat à Præpoſito ſuo: Quia ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ad ordines admittaris: Neque ouium mearum cuſtodiæ, regiminique præficiaris. Verumtamen eſt cauendum ne Dei ommiſſis Euangelijs, ac Prophetis, Comœdias, amatoriaque legamus.

CAP. XXXIX.

Quoniam manifeſta debent eſſe, quæ ad Eccleſiam pertinent, vt ſi Rectori contigerit inopinatus tranſitus, nullo modo minui poſſint res Eccleſiæ, vel deperire: ſtudeant propterea omnes in Eccleſia Cathedrali noſtra dignitates obtinentes, Canonici, Presbyteri omnes, & Clerici, & quotquot ſunt in Ciuitate, & Diœceſi Caſtellanetenſi Beneficiati quocunque nomine cenſeantur, quæ ſua ſunt agnoſcere, & quæ in Eccleſiarũ fraudem inutiliter ſunt alienata, vindicare; ne quæ tueri omnino promiſerunt, in ſuarum perniciem animarum negligere videantur.

CAP. XL.

QVoniam ad Eccleſiaſticam diſciplinam tuendam Sac. Can. pluribus decretis prohibuerũt Clericos cum mulieribus habitare, vt qui non ſolùm à crimine, ſed ab omni etiam criminis ſuſpicione cauere debent. Ideò nos eiſdem Sacr. Canonibus adhærentes præcipimus omnibus, & ſingulis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, Canonicis, Sacerdotibus, alijſquè Eccleſiaſticis hominibus, nè conſanguinitatis, vel affinitatis nomine, aut ſeruitutis alicuius prætextu cum mulieribus quibuſuis habitent, abſque facultate à nobis in ſcriptis impetrata, in qua mulieris nomen, ætas & conceſſionis cauſa diſtinctè explicetur. Qui ſecùs fecerint, grauiſſimas luent pœnas noſtro, ſeu Vicarij noſtri arbitrio imponendas.

CAP. XLI.

QVæcunque in hac vniuerſa, quæ ad vitam, & honeſtatem Clericorum pertinent, parte, varijs capitibus expreſſa præcepta continentur: ea omnia ab omnibus ad quos ſpectat, diligenter, & inuiolatè ſeruari iubemus. Qui verò Clericus cuiuſcunque gradus, ordinis dignitatis, in aliqua re ijs non obtemperarit: is aut pecunia, aut ſuſpenſione ab ordinum munere, & beneficiorum adminiſtratione, aut ipſis etiam beneficijs, aut carcere, aut exilio, aut pluribus ſimul ex ijs pœnis, aut etiam grauioribus pro modo culpæ Epiſcopi arbi-

tratu

tratu mulctetur. Qui iterum in eadem re peccauerit, duplicata is pœna pro ratione criminis ab eodem puniatur.

QVAE PERTINENT AD Regulares.

CAP. I.

EXCESSVS Regularium extra Monaſterium degentium puniantur per loci ordinarium: ſi verò intra Monaſterium degunt, extra tamen Monaſterium deliquerint, vt Populo ſcandalum ſit, infra præfiniendum tempus puniantur ab eorum ſuperioribus. Quòd ſi in illis puniendis negligentes, & deſides fuerint, puniantur per loci Ordinarium, & hæc iuxta formam decretorum Sac. Trid. Concilij.

CAP. II.

AB ſuis Monaſterijs abſque licentia ſui ſuperioris in ſcriptis obtenta, nè vagentur. Qui contrafecerint carceribus mancipentur, & interim eorum ſuperiores de dicta carceratione certiores reddantur iuxta Sixti Quinti Conſtitutionem.

C A P. III.

IN Exemptorum cauſis ſeruetur conſtitutio Innocentij quarti quæ incipit volentes: & in cauſis Ciuilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum tam Clerici ſeculares, quam regulares, etiam ſi certum Iudicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, ſi tamen extra Monaſterium degũnt coram ordinario loci conueniantur, ſimiliter in alijs ſi certum Iudicem non habuerint Iuxta Concilij Tridentini decreta ſeſſ. 7. cap. 14.

C A P. IIII.

Regulares, qui nullam curam animarum habẽt, ſponſos ne benedicant, item mulieres à partu ad Eccleſiam vehientes, ſed Curati, quia eorum proprium munus eſt, præcipimus ne in huiuſmodi officijs ad eos non ſpectantibus vllo pacto ſe ingerant. In ſuis Eccleſijs Mortuorum cadauera abſque Parochi, vel alterius ſacerdotis loco Parochi præſentia non ſepelliant, ſub pœna interdicti.

C A P. V.

CVm ad ægrotantium confeſſiones audiendas vocantur, ſtatim de hoc certiorem faciant Curatum prout ab Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis D.D. Cardinalibus ſacræ Congregationis ſuper Conſulta Epiſcoporum aliàs decretum eſt, ſuaſque Eccleſias poſt ſolis occaſum claudi curent, niſi neceſſitas aliter fieri ſuaſerit.

DE MINISTRIS ECCLESIAE.

CAPVT I.

QVI dignitates in Eccleſia noſtra Cathedrali obtinent, & Canonici nominis, ac inſtitutionis ſuæ memores ea pietate, & aſſiduitate diuina officia colere debent, vt alij eorum exemplo, ad ſtudium, & amorem diuini cultus accendantur. Itaque auctoritate etiam Trid. Conc. præcipimus, vt cum in choro pſallendum eſt, ipſi quoq; quantum honoris gradu cæteris præſtant, tanto ſtudioſius Pſalmis, Hymnis, & Canticis vnà cum alijs modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio ſi defuerint pro abſentibus habeantur, & earum horarum, quas ea ratione non obierint diſtributionibus mulctentur. Conſtituatur ex Canonicis ſacerdotibus hebdomadarius, qui diebus infra ſtatutis Miſſam, & Veſperas canat: cui octauo die ſuccedat alius eiuſdem ordinis, idque ſemper in orbem fiat: is ſi ſuo officio defuerit arbitratu Epiſcopi mulctetur. Reliqui Canonici decoro cantu Antiphonas exordiantur, quas Manſionarius dictarit.

CAP. II.

ECcleſiaſtica dignitate, aut Canonicatu præditus, ſi in Eccleſia hac Cathedrali Miſſas conuentuales, pro ratione ipſius dignitatis, aut Canonicatus ad Epiſcopi ex Trid. Concilij auctoritate præſcriptum celebrare contempſerit, vel neglexerit ab ordinis ſui munere ſuſpendatur ipſius Epiſcopi arbitratu. Quo decreto aſtringi etiam omnes alios ſacerdotes volumus, qui in Eccleſia noſtra Cathedrali aliquod munus obire debent.

CAP. III.

QUI celebranti Epiſcopo, aut alia Pontificalia exercenti, diligenter non adſtiterint, & inſeruierint: pœnam ſubeant, quæ ei videbitur. Quibus Canonicatibus, præbendis, dignitatibus; aut perſonatibus; & officiis adiunctum eſt munus aliquod, Præsbyteri, Diaconatus, aut ſubdiaconatus, qui ea obtinent, ſi quemadmodum à Tridentino Concilio præſcriptum eſt ſuo officio per ſe non fungantur: puniantur arbitratu Epiſcopi, niſi legitimè impediti, impetrata licẽtia à ſuperiore ordinario per alios ſatisfecerint. Et dum in choro aſſiſtunt, præter talarem tunicam; & ſuperpellliceum, & almutiam ferant.

CAP. IIII.

QVoniam verò Canonicatus noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ex Sac. Trid. Concilii præſcripto hactenus certos ſacros ordines annexos mini-

mè

mè habent: idcirco eiuſdem Sac. Concil. auctoritate, duodecim ſingulis canonicatibus ſacrum Præsbyteratus, quatuor verò Diaconatus, totidemque ſubdiaconatus ordinem præſenti Synodali decreto cum Conſilio canonicorum noſtrorum annectimus. Statuentes vt nullus in poſterùm in canonicorum numero cooptetur, qui in ſubdiaconatu conſtitutus non ſit, vel in tali ætate, vt infra tempus à prædicto Conc. ſtatutũ poſſit ad dictum ordinem promoueri.

CAP. V.

De Cæremoniarum Magiſtro.

CHori, vel cæremoniarum Magiſter, qui diuinis officijs celebrandis tanquam Magiſter eſt, denunciet officium, ſimplex, vel ſolemne celebrandum. Quando de Dominica, de feſto, vel de feria. Quæ Antiphonæ, orationes, Pſalmi, lectiones recitandæ, aut canendæ.

Quando ſtandum, ſedendum, caput ſubmittendum, aut genua flectenda, omnes Eccleſiæ miniſtros ſui officij admoneat. Adoleſcentes, vel rudes, quibus Euangelium, Epiſtola, vel aliquid eius generis publicè recitandum ſit, prius in ſacriſtia audiat, & erudiat. Eum omnes audiant: qui non audierint, ab eo qui choro præſidet corripiantur: etſi opus fuerit ad Epiſcopum deferantur. Si Magiſter in officio ſuo deli-

querit à Præſidente chori obiurgetur; & ab ordinario puniatur pro delicti modo: eique vt magis in officio ſuo diligens ſit, ſtipendium ſex aureorum quotannis aſſignamus, eidem ſoluendum æquis portionibus per Epiſcopum, & Capitulum, donec aliunde prouiſum fuerit.

Sacerdos proximè ordinatus, Miſſam ne celebret priuſquàm à cæremoniarum Magiſtro circa ritum, & cæremonias fuerit approbatus.

CAP. VI.

CAeremoniæ omnes, quæ ſigna ſunt pietatis, & religionis Chriſtianæ á Romana Eccleſia inſtitutæ, & ſeruari ſolitæ, iuxta libros cæremoniarũ, & rubricas noui Pontificalis, ac noui Miſſalis; vt piè, & ſanctè ſunt inuentæ, ſic religiosè in hac Eccleſia conſeruentur: & quæ non ſunt vſque adeò obſeruatæ introducantur, & ab omnibus obſeruentur.

CAP. VII.

MAgiſter cæremoniarum ne vllo vnquam tempore permittat, vt vllas Mulieres etiam quauis dignitate Illuſtres in Eccleſia, miniſtri ipſius thurificent, cum id ſit contra S. Rom. Eccleſiæ rectum ordinem, & idcirco à nobis omnino prohibendum eſſe cenſuere Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi DD. Cardinales Sacræ Congregationis ſuper conſulta Epiſcoporum, prout nos hoc Synodali decreto probibemus: ſi cæremoniarum Ma-

giſter, vel quiuis alius Clericus contrafecerit, grauiter ab Epiſcopo puniatur.

CAP. VIII.

De Subcantore.

MAgiſter Chori, qui in noſtra Cathedrali Eccleſia Cantoris partes ſuſtinet, in ijs, quæ ad diuina officia pertinent, pſalmodiam, officium, ſimplex, vel ſollemne celebrandum denunciet, ſingulis clericis diſtribuat lectiones, Antiphonarum capita, quibus vult ſuggerat intonanda, & antequam officium inchoetur, chorum ingreſſus, Miſſam, Pſalmos, Antiphonas, & alia quæ vſus requirit, inueniat, & officium ſemper, niſi ſolemne ſit exordiatur, ſi hebdomadarius non adſit: ſocium habeat ſui miniſterij adiutorem, qui alteram chori partem regat, & abſente Magiſtro omnia eius obeat officia, ne diuini cultus ratio negligatur.

CAP. IX.

De Sacriſta.

AModò in hac Cathedrali Eccleſia per Theſaurarium, vt ſolitum eſt, tres Sacriſtæ eligantur, bonæ vitæ, quorum vnus ſit optimæ, & ſenioris, exemplariſquè vitæ, qui maior Sacriſta dicatur, & præſit cæteris, & quoad fieri poteſt, ſit grauis, literatus, iuxta Sacrorum Canonum decreta, vt ſuum officium cum omni decore, & laude Dei omnipotentis, ac Sacramentorum reuerentia exerceat. Quod ſi dictam electionem modo præ-

dicto Theſaurarius non fecerit, Epiſcopus, vel eius Vicarius dictum Sacriſtam maiorem cum prædictis conditionibus eligat.

CAP. X.

SAcriſta habeat cuſtodiam ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorũ, & totius Theſauri Eccleſiaſtici, inſtrumentorum quoque omnium, & Theſaurarij partes in eo genere adimpleat, tanquam Theſaurarij ſubſtitutus. Eiuſdem curæ ſint lumina, cera, & oleum. Vinum, hoſtias candelas, & cereos, cæteraquè è ſacriſtia neceſſaria ad diuina officia, præparet. Aquam benedictam ſingulis Dominicis diebus, vel etiam ſæpius ſi opus erit renouet, vel ab alijs renouari curet, veterem non in pauimentum Eccleſiæ effundat, ſed in ſacrarium eijciat. Altare maius, & omnia alia, præcipuè diebus feſtis, decenter ornet. Hora congrua, ipſe vel eius ſocij campanæ ſono det ſignum, Mattutini, Miſſæ, & aliarum horarum Canonicarum: ſacerdotes ad Miſſam celebrandam diſtribuat, vt nunquam Miſſæ vſque ad Meridiem à primo manè in Eccleſia deſint: nec vllus ſine Sacriſtæ licentia ad Altare celebraturus accedat. Habeat in ſacriſtia duas tabellas: vnam in qua omnes Miſſæ, & officia pro mortuis, & reliqua deſcripta ſint, quæ ex impoſito onere, ac munere, quacunque de cauſa in Eccleſia Cathedrali celebrari oportet, alteram in qua vniuſcuiuſque di-

gnitatis, Canonicatus, præbendæ, Capellæ, Altaris, ſeu alterius beneficij, & officij Eccleſiæ prædictæ in Miſſis, & alijs diuinis officijs obeundis debita munera contineantur.

Curetque vt, quæ duabus his tabellis præſcripta ſunt munera, à quibus debet omnino præſtentur.

Eiuſdem officium erit operam dare, vt è ſacriſtia ſermones de inanibus, prophaniſquè rebus, multoquè magis iurgia, rixæ, & turbæ omnes arceantur, laicoſquè homines ibidem verſari ne patiatur. Nemini permittat, vt ſacris veſtibus induatur, niſi tunc, cum ei Miſſa celebranda ſit. In ijs, qui primo, qui ſecundo loco, qui deinceps Miſſam celebrare debeant, ordinem tabulæ ſeruandum curet.

Si quis autem ſuo tempore præſto non fuerit: vel is quem abſens ſuo nomine ſubſtituit, vel proximè abſentem ſuo arbitrio, Miſſæ locum det, duobus autem vel ad ſummũ tribus poteſtatem faciat eodem tempore parãdi ſe ad Miſſæ celebrationem.

Et vt facilè cognoſci liceat, an ſacerdotes, qui in Eccleſia hac Cathedrali Miſſas certo quodam præſcripto numero celebrare debent, hoc ipſum munus omnino præſtent, ob eam cauſam ipſe Sacriſta maior, & alij, ad quos hoc ſanè ſpectat, librũ conficiant, curentquè vt in eo, ipſis præſentibus, eiuſmodi ſacerdotes, cum ab altari redierint, ma-

nũ ſua, & diem quo in illis celebrarint, & nomen ſuum notent.

Ipſe etiam Sacriſta maior Curati munus aliqua ex parte ſuſtineat, ſacrorum oleorum ſit cuſtos, Baptiſmi Sacramentum miniſtret, & extremam vnctionem deferat ad infirmos.

Obſeruent præterea diligentiſſimè, & Clericos, & Laicos, contra decorum, & honeſtatem Eccleſiæ delinquentes, eoſque ſui officij moneant, ac ſi non reſipuerint ad Epiſcopũ deferant. Omnia quæ Eccleſiæ honeſtati, ornamento, decoroue officere poſſint, prohibeant, & arceant: neque quemquam noctu in Eccleſia morari ſinant, maximè autem vigilent, ne Altaria ſpolientur, aut quicquam ex Eccleſia ſurripiatur.

CAP. XI.

De Manſionarijs.

MAnſionarij, qui totum officiorum diuinorum pondus ſuſtinent, & ſuccentoris partes non ſolùm adiuuant, ſed implent, pluuiali iuxta dierum feſtorum rationem induti, cum opus erit ad lectorile accedant, vt Antiphonas, Reſponſoria, Gradualia, & alia huiuſmodi generis cantant.

CAP. XII.

De punctatore.

PVnctator in annum pro noſtræ Eccleſiæ conſuetudine à Capitulo conſtitutus in hæc verba

coram Epiſcopo, vel Vicario ſpondeat, ac iuret ſe in officio obeundo fidem, ac diligentiam ſuam pro viribus præſtiturum.

Ego. N. punctatoris officium, quod ſuſcepi iuro, ſanctè promitto, ac ſpondeo me fideliter, & ſincerè exequuturum, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Punctator ſtudioſè eos, qui ſacras horas, & diuina officia non obierint, nec ſolùm in libro punctationum notet abſentes, verùm etiam vnumquemque contra Decreta prouincialia, ac Diœceſana, in Choro, in proceſſionibus, in funeralibus, diuiniſq; alijs officijs aliquo modo errantem. Qua in re is nullius, non odio, non amore, non ſpe, non metu moueatur. Si aliquem iniuria notarit vel notandum prætermiſerit, non ſolùm fracti iuramẽti, ac promiſſi reus apud Deum ſiſtitur, ſed etiam vnius hebdomadæ diſtributiones amittat. Libros pũctationum diligenter cuſtodiat, & Epiſcopo, & Capitulo ſingulis menſibus exhibeat, & quoties id Epiſcopus, vel Capitulum poſtularit.

Quo tempore is in officio punctatoris permanſerit, ſacris horis & officijs omnibus interſit: niſi abſit de eius licentia, qui choro præſidet: quo tempore alium ab eodem chori Præfecto probandum ſubſtituat, qui ſuo muneri ſatisfaciat. Si ſecus fecerit arbitrio Epiſcopi puniatur.

Eidem Epiſcopo facultas ſit de Cathedrali Ec-

clesia

cleſia, in qua punctator creandus ſit, omnes quoſcunque libuerit, propoſitis pœnis ſuſpenſionis à diuinis, & aliis ſuo arbitratu cogendi, vt id munus ſuſcipiant, & obeant.

DE FVNCTIONIBVS MINORVM *Ordinum ad vſum reuocandis.*

CAPVT I.

EX Trid. Conc. præſcripto veteres ſacrorum ordinum functiones ad vſum reuocandas eſſe cēſuimus. Singulis itaque Minoribus ordinibus initiatis præcipimus, vt non ea ſolùm munera, quæ illis infra præſcribimus in Eccleſia expleant: Verùm etiam cætera, quæ ſacris antiquorum Canonum decretis ad eos pertinere Epiſcopus cognouerit, ac ſi quæ item alia ad noſtræ Eccleſiæ vtilitatem, dignitatemuè, eiſdem pro temporis ratione imponenda duxerit.

CAP. II.

OStiarius fores Eccleſiæ cuſtodiat: Eccleſiam ſuo tempore claudat, & aperiat: Infideles, Hæreticos, Excommunicatos, & alios quibus iure interdictum eſt, ab Eccleſia arceat, & eiiciat. Ne populum propius ad ſacerdotem rem diuinam

facientem, accedere patiatur. Campanas pulſet, in Eccleſia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliauè ratione officia diuina perturbantes, & quouis modo indecorè, atque irreuerenter, ſe habentes, moneat. Si pertinaces ſint expellat, aut ad ſuperiorem deferat. Mendicantes excludat, Eccleſiam verrendam curet, bruta denique, caneſuè expellat. Quidquiduè in Eccleſia dedecet, amoueat.

CAP. III.

LEctor in Eccleſia prophetias, quæ in Miſſa legendæ ſunt, & lectiones pronunciet, quæ ex veteri, & nouo teſtamento in Matutinis dicuntur. Pueros ſi ita Epiſcopo videatur, prima fidei rudimenta doceat.

CAP. IIII.

NEmo ænergumenis manus imponere, aut cauſa eijciendi Dæmones exorciſmos legere audeat: niſi Exorciſtæ ordine ſit initiatus. Is exorciſmos memoriæ mandare ſtudeat, idque ex libris Epiſcopi iudicio comprobatis, & cum res poſtulauerit, vt eo munere fungi oporteat, id ne agat, niſi conſulto & conſentiente Epiſcopo. Epiſcopus autem nemini, nè ſacerdoti quidem permittat, vt id muneris exequatur: niſi eius ætatem, & mores probarit. Caueat etiam nè intercedat vllus in exorciſmis quæſtus, neuè vlla curioſa percunctatio, præſertim, quæ ad diuinationem pertineat.

CAP. V.

ACoJuthus Subdiaconos, & Diaconos ad Altaris obſequium affectās, eis inſeruiat, lumina accendat, & deferat. Vrceolos vini, & aquæ ad Miſſæ ſacrificium paret.

QVÆ AD DIVINA OFFICIA pertinent.

CAP. I.

CVM in Eccleſiam ad Diuina officia diurna, vel nocturna conueniendum erit, id campanæ ſono ſignificetur; ea interpoſita mora, qua omnes facilè poſſint conuenire: Signo audito, qui Dignitates in Eccleſia, aut Canonicatus habent, cæteriquè omnes, qui intereſſe debent, præparent ſe ad diuinas laudes, & maturè ad Eccleſiam progrediantur. Ingreſſi in Eccleſiam primò ſe ſigno Crucis muniant, & aqua benedicta aſperſi, ea, qua decet grauitate incedāt, factiſq; ad ſacroſanctam Euchariſtiam precibus, rectà in ſacriſtiam proficiſcantur. Quo loco, retenta talari veſte, ſuperpelliceum aſſumant, & reliquum veſtitum ad ſacrum munus neceſſarium. Quod, vt ſeruos Dei decet tacitè, & modeſtè faciant.

In ingreſſu Chori ad matutinum, & alias ho-

ras, & diuina officia is ordo ſeruetur.

Vt paulò poſt vltimum Campanæ ſignum ad rem diuinam faciendam, vniuerſis in ſacriſtia paratis, pulſetur paruula campana, qua egreſſus ſacerdotum ad Miſſas celebrandas ſignificari ſolet: vt omnes qui in Eccleſia vel circum eam ſunt, diuini officij celebrationem inſtare intelligant.

Poſtea omnes de ſacriſtia ordine procedentes, exeant, & vbi ſe Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ad Altare maius humiliter inclinarint, ſuum quiſque locum in Choro adeat. Ibi flexis genibus, & ſubmiſſa voce ſaltem orationem Dominicam dicant. Deinde dato ſigno, vel pronunciato Pater noſter per hebdomadarium, ad initium officij omnes ſurgant, & officium inchoetur.

Si quis auſus fuerit inchoare officium priuſquã eo ordine in chorum conuenerint, & diſtributionem illius horæ amittat, & grauiori etiam pœna ab Epiſcopo plectatur.

CAP. II.

OMnes in choro diuina officia, vt temporis ratio poſtularit, alternis vocibus canant, recitēt, attentèque audiant. Id non curſim, non perturbatè, non obſitanter, ſed leniter, diſtinctè, ſedatè, ac ſtudiosè faciant. Factaque pauſa in medio verſiculi, & non niſi abſoluto verſu alterius partis, verſum alij incipiant, neque verba traſcurrent, vel ſincopent, ſcriptura dicente: quoniam Rex omnis

terræ Deus, pſallite ſapienter.

In choro ex inſtituto, & more Eccleſiæ pro tempore, & officij ratione ſedeant: ſtent: flectant genua: caput aperiant: & ſubmittant, cæteraque eius generis adhibeant. Omnes verò æquè idem faciant. In choro item in Matutino officio, clericali bireto, non pileo vtantur. Faceſſant ſomnus, riſus, loci, rixæ, colloquia. Ne vagentur in choro, vel Eccleſia, neuè locum mutent, ſed vnuſquiſque ſuum locum teneat, alteriuſque ſtallum non occupet, ita tamen, vt ſuperioribus Clericis abſentibus, inferiores, ſi adſint, in eorum locum ſuccedant, vt ſimul coniuncti commodius pſallant.

Ne in choro vbi communi officio opera datur, priuatim officium dicant. Neuè literas, libros, aliauè ſcripta legant: neque alio modo contendant, diuinum officium perturbando, & denique nihil indecorum faciant, quod ſit alijs ſcandalo, vel impedimento. Denique ne exeant, niſi diuino officio confecto, ne cauſa quidem de communi re agendi, ſi neceſſitas non coegerit: tuncque à Vicario ſi adeſt, vel eo abſente à Præſidente chori venia petita. Si cum diuina celebrantur officia ſacerdoti, vel Clerico, vel miniſtro interdum per Eccleſiam neceſſariò ſit incedendũ, grauiter, & modeſtè id faciat. Neque cum vllo ſermonem habeat de rebus inanibus.

Qui dignitates habent, Canonici, & alij om-

nes,

nes, qui aliquid in his peccarint; ſi moniti à Vicario, vel à Præſidente chori non reſipuerint, & horæ illius diſtributione careant: & pro modo culpæ alias pœnas dent Epiſcopi arbitratu.

CAP. III.

ET quoniam Chori diſciplina plena religionis eſt, plena pietatis: ac propterea ſanctè, ab ijs obſeruanda eſt, qui in eum locum conueniunt, ad Dei laudes concelebrandas. Idcircò præter ea, quæ ſuperius de illius cultu præfiniuimus, hæc admonemus, quò religioſius, non modo excolatur, ſed multis partibus augeatur ſancta eiuſdem Chori inſtitutio.

Primò, vt ſtudio quodam intimæ pietatis, cuius ſplendor eluceat foris etiam vnuſquiſq; vel Canonicus, vel alius miniſter, quicumque ſit, qui chori officijs aſtrictus eſt, ad chori diſciplinam ſe ſe inſtruat.

Antea verò, quàm eò conueniat, paululum attentè ſecum cogitet, & loci illius ſanctitatem, & conueniendi cauſam, & diuinarum laudum, quarum munus Angelorum eſt, officia, quæ caſtiſſimè ab omnibus concelebrari oportet. Hac ipſa in cogitatione firmiter inhærens, ne quidquàm quidem mente, animoque concipiet, ab eius loci religione alienum; ne dum aget, quod Dei oculos offendat. Paret ſe propterea etiam atq; etiã diligenter ſancta intimi animi meditatione, & religioſa

oratione

oratione, vt exteriorem quoque cultum diuinorum officiorum ſalutariter exequatur.

C A P. IIII.

DVM ſuperpelliceum, qui amictus ex tela linea candida conſtat, induit, cogitet, quam perſonam ſuſtineat, nempè à ſordibus labeque purum, qualem veſtimentus ille indicat. Cum almutiam pelliceam, quod inſigne Canonicorum eſt humeris, vel bracchijs, prout moris eſt, Canonicus imponit, eam cogitationem ſuſcipiat, in ſe reſtinctas, ac plane mortuas eſſe oportere rerum mundanarum affectiones, atque cupiditates, vt ejus rei ſignificans eſt illa animalis intermortui pellis, quã de more induit, ac ſe totum ad Dei voluntatem accomodare. Cum igitur ijs chori veſtibus indutus, alium veſtitum, quo foris vtitur contegat, ſicquè aliam perſonam habitu gerat, caueat, ne quicquã etiam in ſacriſtia agat, admittatuè, quod cum actioni non rectè conueniat, ob quam illum habitum induit. Ne in colloquijs quidem, ab ea actione alienis, ſe occupet: niſi curæ præſit, quæ id neceſſariò poſtulet. Abſtineat autem ſemper, ſed maximè, dum chori veſtibus indutus eſt, vbi vbi ſit, vel in ſacriſtia, vel alio loco à iocis, à ridiculè dictis, factiſuè, à chachinnationibus, à verbis futilibus, atque inanibus, quæ temerè, & imprudenter effunduntur.

CAP. V.

DVmque ad Chorum procedit, quamquam alij comes adiunctus, at quaſi ſolus accedat, in ea meditatione fixus, vt ſecum cogitet, ſe ad Choru, nempè ad Sancta ſanctorum, vt Canone antiquo cautum eſt, & ad publicæ orationis ſacrificium accedere. Cum in Choro eſt, animum, mentemquè, ab omnibus curis, perturbationibus, & cogitationibus à rei, quæ geritur ſanctitate alienis, quoad eius fieri poteſt abducat, ſeſeque totum in Dei cultu colligat. Illud etiam cogitet, quam ob cauſam eó ſe contulerit: tum ſibi ſtatuat, ſe in conſpectu Dei omnipotentis, & in corona innumerabilium Angelorum, & Sanctorum eſſe. Qua in cogitatione videat, perpetuòquè reputet, ſe eo loci conſiſtere, vt Deo ſanctum cultum, venerationemquè tribuat, atque ab eo, & ſibi, & alijs omne bonum deprecetur. Conſideret verò ipſum Deum tanquam Patrem, & Redemptorem amantiſſimum, optimum, ſapientiſſimum, miſericordiſſimum, quique omnia intuens vbique, & ſemper eſt.

Tùm cordis caſtitatem, beneq; orandi donum, & gratiam à Deo ſupplex petat, orationiſquè ſuæ ſacrificium ſimul cum meritis Ieſu Chriſti, & ſanctorum eius, præſertim cuius memoriam Eccleſia illo die celebrat, ad gloriam ſanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, & ad ſuam, proximorumquè vtilitatem dirigat.

CAP. VI.

CVm pſallendum eſt primùm Pſalmi argumentum, mente animoque concipiat.

Obſeruet præterea, quis in Pſalmo loquatur, an Deus, an Eccleſia, an pœnitens, an aſpirans ad perfectionem.

Attendat item, ad quem præcipuè ſalutarem affectum pſalmus dirigatur.

Cum ita ſe religiosè pararit, magna animi attentione ſe ad verba, ſententiaſque pſalmi accommodet, ita, vt laudet, gemat, extimeſcat, ſicut pſalmorum voces indicant: & quod denique ore profert animo primùm concipiat: túm verba ſingula notet, interpretationem ſtudiò aſſequatur, vnde mens, animuſque ad aliquem ſalutarem affectum incendatur. Ad verba etiam adiungat animo cogitationem vel amoris, vel reuerentiæ, vel humilitatis. Atque ita quidem affectum aliquem excitet, vt ſi de virtute verba pſalmi profert, deſiderio accendatur imitationis, ſi de peccatis, intimè doleat, quod in eo ſtatu ipſe fuerit, aut certè proximi eius, & ſic de alijs item, quæ pſalmo ſignificantur.

CAP. VII.

EAm porrò attentionem initio vniuſcuiuſque pſalmi, orationis, & aliarum diuini officij partium, ſingularum horarum canonicarum renouare, atque excitare ſtudeat, præſertim dum

illa verba, quæ ad ſanctæ orationis ſpiritum inflammandum valent, pronuntiat: Deus in adiutorium meum intende &c.

Itidem faciat, cum aliorſum ſe cogitationibus diſtrahi animaduertit. In fine etiam vniuſcuiuſque pſalmi, ſe ſe excitet illis verbis, Gloria patri &c.

In concluſione item orationum, cum dicitur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſpe ſancta erga illum redemptionis noſtræ auctorem ſeſe confirmet.

CAP. VIII.

ET quoniam attentio valde admodum excitatur, ſi quæ, quiſque profert, rectè intelligit: ideò in ea potiſſimum expoſitione pſalmorum aſſiduè verſetur, quæ non varia ſit, ſed quæ tota in excitandis, exercendiſque ſanctis affectibus verſatur.

Cum autem magnus pſallendi fructus in pſalmorum affectibus verſetur, ſiuè quis in choro, ſiuè priuatim, ſiuè ſubmiſſa, ſiuè alta voce oret: idcirco certos ſibi locos pſalmorum præfiniat, quibus omnis hæc ratio concludatur.

Loci præcipui præter cæteros hi ſunt, vnde ſalutares affectus exiſtunt, laus Dei, memoria bonorum noſtrorum, commemoratio noſtræ miſeriæ, & reprehenſio malè agentium.

Pſalmorum verbis cum Dei bonitas prædicatur, ad illius dilectionem, & ad gratiarum actio-

nem de beneficijs, quæ à diuina benignitate proficiſcuntur, ſe toto animo accendat. Cum illius infinita ſapientia, potentia commemoratur, admiratione afficiatur: tùm intimè gratuletur, cùm aliquid Dei auxilio, bene geſtum narratur.

CAP. IX.

CVm bonorum memoria, recordatioque pſalmorum vocibus excitatur: deſiderium quoddam concipiat, illa ſibi, & alijs conſequendi: túm illa eadem à Deo petat, tũ in Deo ſpem animo capiat fore, vt diuina eius ope, non modò, quæ bona ſunt, quæque ſalutaria aſſequatur, ſed quæ mala, ac quæ perniciem afferunt, vitet. Aliquando etiam intimè in Domino gaudeat, ſe bona, Deo iuuante adeptum eſſe, & mala cauiſſe. Ex miſeriarum commemoratione timorem, dolorem, ac humilitatem cum ſuas agnoſcit infirmitates. Ex reprehenſione malè agentium, agnoſcat zelum diuinæ vindictæ, & indignitationem contra nequitiam. Atque ita quidem ex ſalutaribus his affectibus fructum pſallendi vberrimum capiet.

CAP. X.

PEroratis pſalmis, abſolutoquè horarum canonicarum officio, paululum tacitus conſiſtat, genibuſquè flexis veniam deprecetur, & negligentiæ, & diſtractionis, alteriuſuè culpæ, quam in eo precationis officio admiſerit: tumque hoc oret, vt pro Chriſti, totiuſq; Eccleſiæ meritis orationis ſuæ obſequium,

ſequium, ac miniſterium gratum ſit, atque acceptum, ſubmiſſaquè vocè ſaltem orationem Dominicam dicat.

Tum vel ſurgente, vel ſignum dante hebdomadario, conſurgant omnes, & inter ſe conſalutantes, & ordine procedentes, ſimul exeant: & de more ante Altare ſe humiliter inclinent, debitamquè ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento adorationem exhibeant, eodemquè ordine ad ſacriſtiam progrediantur: vbi modeſtè, & quietè ſuperpelliceum exuant, non in Eccleſia. Qui ſecus fecerit, monitus à Præfecto Chori, niſi reſipuerit, diſtributionem illius horæ nè capiat, & ab ordinario pro modo culpæ puniatur.

CAP. XI.

QVocunque anni tempore pro Matutino officio, ſaltem ante auroram ſignum detur per horam, in qua ſe commodè preparare poſſint Clerici, Miniſtriquè Eccleſiæ: ſub aurora tamen omnino ante ſolis ortum inchoetur, ad hoc vt verè matutinum dici poſſit, vt aliæ horæ, Miſſæ, & officia maturè perfici queant.

CAP. XII.

DIebus ſolemnibus matutinum, & reliquarum horarum officium debitis temporibus totum decantetur: ſcilicet, Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti, Paſchatis Reſurrectionis, Circumciſionis, & Epiphaniæ.

Aſcenſionis.
Pentecoſtes.
Sanctiſſimæ Trinitatis.
Corporis Chriſti, & per octauam.
Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.
Natiuitatis.
Annunciationis.
Viſitationis.
Purificationis.
Et Aſſumptionis, & per octauam.
Omnium Sanctorum.
Sancti Nicolai Pont.&Conf.& huius Eccleſiæ noſtræ Patroni, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
Et inuentionis S. Cataldi Epiſcopi & Conf.
Et Dedicationis propriæ Eccleſiæ.

Diebus Dominicis, & feſtiuis, Matutinum, & laudes,& tertia,& Veſperæ decantentur, reliquæ verò horæ ſtudioſè, deuoteque legantur: diebus verò ferialibus laudes, & Veſperæ decantentur, reliquæ verò horæ deuotè religioſeque legantur, & quotidie nouum martyrologium grauiter recitetur, & nouo Calendario Gregoriano omnino vtantur, & ſuper Altare maius, & in ceroferarijs maiores, decenteſque candelæ apponantur, in diebus præſertim ſolemnibus, & feſtiuis.

CAP. XIII.

VEſperarum ſignum in Hyeme, & vere, hora vigeſima:in æſtate, & Autumno, hora deci-

ma

ma nona, & poſt mediam horam á dato ſigno veſperæ inchoentur.

CAP. XIIII.

HOrtamur omnes in Domino, vt quicunque Canonicis horis, alijſque diuinis officijs interſunt, in primis Deum ipſum recogitent, cui debitores ſumus: quia creauit, & fecit nos, & redemit nos in ſanguine ſuo. Nam ſi primo loco diſtributiones quotidianas quærerent, Deum ſummum bonum, rebus, quæ nihili ſunt poſtponerẽt peccarentquè mortaliter, ſimoniacam prauitatem animo ſaltem committentes.

Studeant igitur ſeipſos, atque ſuam mentem diſponere, vt prius Ieſum Chriſtum quærant, & quæ eius ſunt, & poſtea ſua, omniaque adijcientur ipſis.

CAP. XV.

QVicunque etiam extra Chorum horas Canonicas recitant, ab omnibus caueant, quibus aut ſeruitutis ſuæ penſum amittant, aut Dei Optimi Maximi indignationem, iuſtamquè iram incurrant, atque ijs vtantur calculis, quibus indulgentiæ á Sanctiſſimo Domino Noſtro impertiuntur, vt negligentiæ ijs non imputetur, ſed ea occaſione deſides non fiant, cum Deo corda omnium pateant.

CAP. XVI.

QVoniam qui de Altare viuit, altari deſeruire obligatur: admonentur omnes Clerici, Canonici præſertim, ac Dignitates in Eccleſiā hac Cathedrali obtinentes, vt alacri, promptoquè animo ad Eccleſiam conueniant, munerique ſuo ſatiſfaciant: Chorum nullo pacto deſerant, niſi fortè ex cauſa infirmitatis, vel aliàs fuerint impediti, Epiſcopo, vel eo abſente, Vicario generali per punctatorem, certioribus factis, quare non poſſint diuinis officijs intereſſe: Qui autem abſque legitima cauſa, etiam ſi in Ciuitate ſint Eccleſiam deſerent, iuxta Concilij Trid. & aliorum Sac. Can. diſpoſitionem, ſciant ſe omnino fore plectendos.

CAP. XVII.

DIebus Dominicis, & feſtis duplicib. Canonicus Hebdomadarius Miſſam maiorem, & Veſperas cantet: niſi ijs diebus ij, qui in Eccleſia dignitates obtinent, id munus obibunt, vel Eccleſiæ inſtitutò, vel Epiſcopi iuſſu. Alijs diebus, niſi de more, vel inſtitutò Eccleſiæ id munus ſit Canonicorum, quod ſeruari iubemus, idem præſtabunt alij ſacerdotes, ad id deſignati. Qui quidem hebdomadarius officium in Choro ordinans ſemper ſtola vtatur diebus ferialibus: feſtiuis autem etiam pluuiali ſit indutus.

CAP. XVIII.

QVi Canonicus vel alius Sacerdos Miſſam ſolemnem in Eccleſia Cathedrali celebrare debet, & ſuo muneri defuerit: niſi legitimè impeditus, & eius rei facultatem ab Epiſcopo, vel eius Vicario impetrarit, in ſingulas vices ſoluat carolenum vnum, in vſum Eccleſiæ erogandum arbitrio Epiſcopi, & qui impeditur, quominus Miſſam celebrare poſſit, Sacriſtam moneat in tempore, vt accepta eius excuſatione curare poſſit, vt ab alio Miſſa celebretur.

CAP. XIX.

SI quis error inter pſallendum, aut orandum, vel omittendo, vel ſubuertendo contigerit, is non ab omnibus, ſed à Chori Præfecto tantummodò corrigatur: qui pro ſua prudentia, vel ſuppleri, vel repeti, aut progredi mandabit, prout ſibi magis expedire videbitur.

CAP. XX.

EPiſcopum ad celebrandam, vel audiendam Miſſam, aliauè diuina officia ſollemnia venientem, progredientes omnes de Capitulo, & Clero, & præcipuè dignitates, & officia obtinentes, in Eccleſiam deducant, & reducant, & Miſſam Pontificalem celebranti, aut alia Pontificalia exercenti Canonici, dignitateſquè obtinentes, & Magiſter cæremoniarum miniſtrent, & aſſiſtant iuxta Sac. Conc. Trid. decreta.

CAP. XXI.

VT in Eccleſia noſtra cuncta ordine peragãtur, omnes hortamur, admonemuſquè paternè Archidiaconum in primis, reliquoſq; dignitates in Eccleſia Cathedrali obtinentes, Canonicos, cæteroſquè Præsbyteros, & quotquot ſunt Clerici in Ciuitate, & Diœceſi noſtra, vt quiſq; gradu ſuo contentus, alterius locum non præoccupet, iniunctum ſibi onus tùm ex Canonum diſpoſitione, tũ etiam ex recepta, approbataue Eccleſiæ noſtræ conſuetudine libenter ferant: qui enim vocantur ad honores, elaborarè non recuſent.

CAP. XXII.

IN tempore quo diuina officia celebrantur, laicis aditus in Chorum ſub excommunicationis pœna ſit interdictus, quam ipſo facto ſubeant. Sacrorum veſtium color pro ratione temporum iuxta Romanum ritum, in Eccleſijs paupertate laborantibus quoad fieri poteſt, in alijs verò inuiolatè ſeruetur.

CAP. XXIII.

EX eo more pulſandi in officijs maioris hebdomadæ ad repræſentandam creaturarum omnium perturbationem in paſſione Creatoris, omnem licentiam, & indecorum tumultum ſub excommunicationis pœna, amoueri iubemus.

DE ORGANO, ET MVSICA.

CAP. I.

ORGANORVM vſus ad diuini cultus ornatum, in Miſſis cæteriſque diuinis officijs, vt Sacrum Tridentinum Concilium præcipit, ſeruetur: nec modulationes laſciuas imitetur, ſed ſoni ſint Eccleſiæ, & Domui Dei, & diuinis laudibus accomodati: ſitq; organorum ſonus, & vocum in illis modulatio eiuſmodi, quæ ad pietatem, & religionem audientes excitet: non vt aures vulgi tantummodò mulceat: alia verò inſtrumentorum genera, præter organa, in Eccleſijs abſque noſtra expreſſa licentia non adhibeantur.

CAP. II.

ORganiſta, Dominicis, feſtiſquè diebus, Epiſcopum ad diuina officia aduentantem, vbi primùm pro Baſilicæ foribus eſt, decora, grauiquè organi modulatione excipiat: neque ſonare deſiſtat, quouſque ad altare genibus flexis orauerit, locoquè ſuo ſederit. Idem præſtet, cum peractis de more officijs inde diſceſſerit.

Item dùm ille Miſſæ ſacrificium, aut Veſperarum officium ſolemniter celebraturus, aliouè pon-

tificali munere perfuncturus, veſtes ſacras induit, nec quicquam canendum à Choro eſt. Hoc verò omne agat ſemper, cum in diuinis officijs, ad quæ Epiſcopus conuenit, organa pulſanda ſunt. Organiſtæ veró pro mercede dentur viginti aurei nummi, hoc ſcilicet modo: quinque Epiſcopus, totidemquè Capitulum, ſanctiſſimi Sacramenti Confraternitas quinq; etiam, & Magnificã Vniuerſitatem hortamur, vt totidem etiam det.

CAP. III.

MAgiſtrũ Muſicæ in hac Eccleſia Cathedrali introduci iubemus, cum congrua mercede ſibi aſſignanda iuxta taxam per nos faciendam: vt diebus feſtiuis Miſſa, & Veſperæ cum muſica cantentur: & vt doceantur pauperes Clerici: qui verò habebunt, vnde ſoluerent ex proprio, mercedem iuxta ſolitum dabunt Magiſtro.

CAP. IIII.

ET vt omnes rectè, & ſecurè valeant in Eccleſia diuinas laudes pſallere cum Muſica, & cantu plano, ne diſſonantia cũ irrerẽuetia Diuinorum officiorum audiatur, edicimus: vt omnes Clerici muſicæ dent operam, aliàs ſi muſicam ignorare comperti fuerint, in numero ſacerdotum participantium non admittàntur, donec ipſam perceperint.

CAP.

CAP. V.

IN Diuinis officijs nè prophana cantica, nec in ſacris canticis laſciua vlla canendi ratio adhibeatur, ſed cantus graues ſint, pij, ac diſtincti, & Domui Dei, & diuinis laudibus accomodati. Clerici propterea notis tantùm in libris appoſitis cantent, nullos addentes modulos, idque in omnibus officijs, & mortuorum præcipuè, à quo omnes tollendæ ſunt cantilenæ, & ſuperfluæ illæ notæ, & diſpares voces, quæ adiungi conſueuerunt.

Ad legile dùm cantatur, maior pars Clericorum accedat, nè memoriter canentes, officia diuina aliqua ratione perturbent.

DE DISTRIBVTIONIBVS *Quotidianis.*

CAPVT I.

QVONIAM in Eccleſia noſtra Cathedrali adeò tenues ſunt diſtributiones quotidianæ, vt à miniſtris Eccleſiæ negligantur: nos tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati tertiam partem fructuum, & quorũcumq; prouentuũ, & obuentionũ, tam dignitatum, quàm Canonicatuum, perſonatuum, portionum, & officiorum huius noſtræ Cathedra-

lis Eccleſiæ ex nunc ſeparamus, & in diſtributiones quotidianas, ex Concilij Tridentini auctoritate conuertimus.

Quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros, qui diuinis interſunt pro rata portione iuxta diuiſionē ab Epiſcopo faciendam diuidātur. Hoc etiam ſtatuentes iuxta decretum à Sac. Congregatione Illuſtriſſimorum, ac Reuerendiſſimorum D D. Card. ſuper negotijs Epiſcoporum, de hac eadem re factum, vt deductis ijs, quæ ſpecialiter Capitulo noſtræ Cathedralis Eccleſiæ relicta ſunt pro Miſſis, vel Anniuerſarijs funeralibus, aut alijs particularibus functionibus obeundis, reliquum in quotidianas diſtributiones conuertatur. Ea verò Miſſarum deductio ita facienda intelligatur, vt aſſignentur ſinguli caroleni noſtratis pecuniæ ſingulis Miſſis, quas facta debita per Diœceſanam Synodum recognitione capitulum debebit, reliquum in diſtributiones quotidianas conuertatur.

CAP. II.

HAs diſtributiones quotidianas, qui ſtatis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis excluſa colluſione his careant, iuxta Bonifacij VIII. conſtitutionem, quam Tridentina Synodus renouat. Omnes verò diuina per ſe, & nō per ſubſtitutos compellantur obire officia. Omnes propterea de præſcripto prædictæ Sacræ Congregationis ſuper

conſulta Epiſcoporum teneantur conuenire, ſeruire, atque intereſſe omnibus horis diuinorum officiorum, Miſſæ conuentuali, & cæteris functionibus, ſingulis diebus de præcepto, vel de conſuetudine feſtiuis; ſingulis diebus Aduentus, & Quadrageſimæ. Alijs verò diebus ſint quàm frequentiſſimi, ita vt ſaltem tertia pars Canonicorum, & alia ratione participantium ſemper interſit, & actu ſeruiat, aliàs puncẽtur, & pro abſentibus habeantur. Portioque deficientium, aut actu non inſeruientium, ſeruientibus accreſcat. Et propterea valeat Epiſcopus ſingulis functionibus, & horis diuinorũ officiorum congruam ſummam, diſtributionis aſſignare.

CAP. III.

CONfeſſarij tanquam in Choro præſentes diſtributionum participes ſint, quo tempore in audiendis confeſſionibus verſantur.

Item qui Miſſam celebrat dùm officium decantatur, vocatus quidem à ſacriſta ſuo loco, & tempore iuxta tabellæ ordinem.

Careant verò quotidianis diſtributionibus infirmi, ſi antea nullo legitimo impedimento diſtenti, perſonale officij ſui munus obire non conſueuerant. Item, qui peregrinationis cauſa abſunt, ſuſpenſi etiam, interdicti, excommunicati, & in carceribus iuſta de cauſa detenti.

CAP.

CAP. IIII.

SI quis priuatim officium in choro recitarit, aut otioſus ſederit, aut dormierit, aut aliquid egerit à diuinorum officiorum ratione alienum, is eius horæ, qua id commiſerit diſtributione mulctetur. Ex præſcripto eiuſdem Sacræ congregationis, ſi quis ad matutinas horas ante finem primi pſalmi non venerit, ad Miſſam conuentualem ante prolatum vltimum Kyrie eleiſon, ad Veſperas, & ad alias horas ante inchoatum primum pſalmum, diſtributione illius horæ careat, & pro abſente reputetur. Hoc etiam intelligatur de Miſſis, quæ cantantur pro defunctis, & in officijs defunctorũ. Circa has diſtributiones, nulla pactio, nulla remiſſio fiat, nec vllum ſtatutum, aut conſuetudo illis faueat, qui abſentes quauis de cauſa ſuo muneri defuerint.

DE PROCESSIONIBVS.

CAP. I.

CVM ex præcepto ſanctæ matris Eccleſiæ, vel alia ex cauſa ab Epiſcopo indicãda, proceſſiones generales fiunt, omnes Clerici Ciuitatis, quales, quales illi ſint, etiam exempti, & Regulares, piarumque Confratriarum homines,

popu-

populus denique omnis in hac Cathedrali Eccleſia conueniant cum ſuis veſtibus ordini, & dignitati congruentibus, & bini ſecundum gradus, & ordinis conditionem crucem præcedentem ſequantur, cum interſtitio inter eos congruenti arbitratu Magiſtri cæremoniarum: & deuotè, grauiter, demiſſiſquè oculis gradiantur: non confabulentur, nec locum deſerant, non huc atquè illuc oculos conijciant, vel ad feneſtras extollant: ſed omnes vnanimiter pſallant, recitent, ſileant, prout tempus fuerit, & Chori Præfectus dictabit: nec vllus abſquè ſuperpelliceo intus proceſſiones deambulet, ſed omnes omiſſis curioſitatibus, excluſiſq; colloquijs, precibus, & ſacris laudibus ſtudiosè dent operam, memores, ſe coram oculis cuncta cernentis maieſtatis, iunctoſquè angelicis agminibus ita procedere: nemo etiam in via inaniter, curioſeque ſpectandi gratia ſubſiſtat. Quæ omnia ad vnguem ſeruentur, etiam in omnibus proceſſionibus mortuorum, & quando ſanctiſſimum Sacramentum ad ægrotos deferetur.

CAP. II.

Clericus cum in aliquam Eccleſiam ad proceſſiones conuenerit, recordetur ſe eſſe in domo Dei: quare nullus cuiuſuis ordinis Clericus, aut ſacerdos deambulet, aut aliquid agat indignum: ſed religioſas preces Deo in cauſa adhibeat, pro-

pter

per quam Clerus vniuerſus, Populuſquè fidelis conuocatus eſt.

CAP. III.

CRuces ſemper deferantur à Clericis ſuperpelliceis indutis, & quoad fieri poteſt duo ſemper ceroferaria cum cereis à Clericis delata, crucem præcedant. Ornatæ cruces dùm deferuntur, ignem cum artificio ſulphuris, aut pulueris non adhibeant: hoc item maximè ſeruetur in proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Proceſſio ab hac Cathedrali Eccleſia proficiſcatur, & eo, quo proceſſit ordine ad eandem reuertatur, niſi aliud Epiſcopo videatur. Qui non venerit ante inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis pro abſente habeatur cum ijſquè Epiſcopi arbitratu, certis mulctis, pœniſuè agatur. Et Laici inter Clericos, & viri inter fœminas nè miſceantur.

Pro foribus domorum, aut inter proceſſiones inania ſpectacula, vel parùm honeſtæ imagines, repræſentationes, carminumuè recitationes omnino non adhibeantur.

CAP. IIII.

PEr Capitulum noſtræ Cathedralis Eccleſiæ eligantur duo Eccleſiaſtici homines, quorum præcipuum erit munus, vt hæc, quæ de proceſſionibus præſcripta ſunt inuiolatè ſeruentur, vel alia ratione huic rei arbitratu Epiſcopi prouideatur.

CAP. V.

IN omni Eccleſia, vnde ad ſtatas proceſſiones Clerum, populumquè egredi ſolemne eſt, vbi primùm procedendi initium fit, campanarum omnium pulſationes ſolemniter tamdiù adhibeantur, quoad inde Clerus Vniuerſus in proceſſionis munere egreſſus ſit. Idemquè cum à proceſſione reditur, præſtetur. Itidem in Eccleſijs fiat, quæ in vicinia ſunt, vbi proceſſio agitur.

Si qua controuerſia ſit de priore loco ad Epiſcopum deferatur, cuius eſt munus Trident. Concilij auctoritate illas tollere, vel illas aliquo modo componere.

DE FVNERIBVS, ET EXEQVIIS.

CAP. I.

SICVT Epiſcopus dum in vita eſt, ſanctæ paſtoralis ſollicitudinis ſtudio debet ſaluti animarum inuigilare: ita illud cum omni ratione coniunctum eſt, vt poſt eius obitum Eccleſiaſtici ordinis Viri, & laici item, quorum Curæ, gubernationiquè paſtorali præfuit, grata, piaquè memoria Epiſcopales vigilias, ac labores, quibus ille in eo munere gerendo perfunctus eſt, proſequantur, pro illius anima in primis Deum

religioſe precantes. Quamobrem nos pium ſanctorum Patrum inſtitutum, ad concelebrandas Epiſcoporum Exequias, iamdiu intermiſſum reuocantes, ſtatuimus, vt Epiſcopo mortuo, vel morti proximo, tres primi de Capitulo preſentes vicinum Epiſcopum, vel eo impedito, alium inuitent, qui pro Chriſtiana, fraternaquè charitate ſtatim veniat, ac ſi viuum Epiſcopum inuenerit, accuratiſſimè conſoletur, & ea officia præſtet, quæ ad animæ ſalutem tali tempore requiruntur. Mortuum verò vnà cum ſeculari, & Regulari Clerò ſollemni more ad ſepulcrum proſequatur. Eius tamen expectationis gratia corpus Antiſtitis, nè amplius quadraginta horis inſepultum iaceat.

Sacra Anniuerſaria pro mortuo Epiſcopo quotannis fiant in Cathedrali Eccleſia quamdiu proximus eius ſucceſſor in Epiſcopatu vixerit, viuentis Epiſcopi, & Capituli ſumptibus.

C A P. I I.

PRæterea hoc etiam decernimus, vt Sacerdotes ac dignitates in Eccleſia hac Cathedrali obtinentes, Canoniciq; omnes in die obitus Epiſcopi Miſſam de mortuis pro illius anima celebrẽt, vt in æterna recipiatur tabernacula. Populus itidem pro paternæ ſollicitudinis, charitatiſque officijs, quæ ille viuus pro omnium ſalute præſtitit, hoc communi parenti mortuo reddat, vt religioſis precibus, alijſquè pijs ſuffragijs, illius animam ad-

iuuet. Ad quam ſanè rem, quiſque Popolum Curatus, cum vſu venit hortetur ſtudioſè ac diligenter.

Poſtremò priuatæ, & publicæ ſupplicationes fiant, in quibus vniuerſus Clerus, humiliter, ac religioſè à Deo Opt. Máx. petat orbato greggi Paſtorem, qui ad tale onus, & miniſterij munus, idoneus, & aptus eſſe poſſit.

CAP. III.

POſtridie illius diei, quo omnium fidelium defunctorum commemoratio fit, ex antiquo Eccleſiæ inſtituto, & diuinum officium, & Miſſæ ſacrũ pro mortuis ritu ſolemni, in Eccleſia Cathedrali ab Epiſcopo, & Capitulo fiat pro ſuæ Vrbis Epiſcopis, qui mortem obierunt. Reliqui præterea ſinguli ſacerdotes, pro iiſdem illo ipſo die ſacrum faciant. Die proximè ſequenti pro mortuis Canonicis, & alijs de Capitulo Eccleſiæ noſtræ à Capitulo fiat.

CAP. IIII.

QVamquam pia, & laudabilis omninò eſt vtraque illa conſuetudo, altera videlicet celebrandi Miſſam cõuentualem à Capitulo huius noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ſingulis hebdomadis pro demortuis Epiſcopis, & altera pro agẽdis ſingulis ſecũdis feriis anniuerſariis pro omnibus fidelibus defunctis, iamdiu intermiſſa: Nos tamen adhærentes conſilio, atque auctorita-

ti Illuſtriſſimorum, ac Reuerendiſſimorum DD. Card. Sacræ Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum aliqua ex parte reuocantes, ac adiuuantes nè penitus obliuioni demandentur, decernimus, vt omnia illa ſacra impoſterum redigantur in vnam Miſſam conuentualem cum tribus orationibus ſcilicet, vna pro Epiſcopis, altera pro Canonicis, reliquiſque Clericis, tertia pro benefactoribus. Eademque die iuxta priſtinam conſuetudinem teneantur omnes Diaconi, Subdiaconi, & Clerici recitare veſperas defunctorum.

CAP. V.

VT vetus Eccleſiæ inſtitutum Mortuorum funus piis precibus, & officiis ſolemni more proſequendi, auaritia, ambitione, vel negligentia deprauatum, ad priſtinam rationem reuocemus, Clericis quibuſcumque cuiuſuis dignitatis ſint, hæc obſeruanda proponimus, & edicimus.

Ne in poſterum exequiarum ſepulturæ, & anniuerſariorum cauſa quicquam paciſci, aut exigere, neque etiam petere, vel aliud committere audeant, quod ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ præferat ſuſpicionem, propterea ſtatuimus, nè defuncti corpus, nec propter quartæ exationem, nec propter nondum exhibitum teſtamentũ, nec propter proceſſionem non ſolutam, vllo pacto detineatur, cum impium ſit hominum cadauera ſepoltura priuari: pias tamen huius Eccleſiæ con-

ſuetudines, circa eleemoſynas ex funere percipiendas, nullatenus abrogamus, ita tamen, vt ſi quid iure, vel ex laudabili, & approbata conſuetudine ſoluendum ſit, ad id hæredes captis pignoribus, vel alio honeſtiori modo compellantur, vel idoneam præſtent cautionem, ſe quod iuſtum fuerit ſoluturos, & abſque lite, & ſcandalo, quod debetur, exigatur.

CAP. VI.

ELeemoſyna, quæ Clero ob funus, aut defunctorum officium datur, ne in Eccleſia, aut ſpectante Populo, ſed eo remoto, locoque ſeparato factis exequijs, officijſuè diſtribuatur: nec quiſquam ante abſolutas preces ab Eccleſia diſcedat.

Curatoribus exequiarum, cæteriſquè qui dant operam in funere, & ijs, qui campanas pulſant pro mercede tantum detur, quantum antiqua conſuetudo requirit.

CAP. VII.

MIſerabiles perſonæ, quibus mortuis, aut nihil habent, aut ita parùm, vt ſua impenſa humari non poſſint, gratis ſepeliantur.

Nullus autem mortuus domo efferatur, niſi prius Præfectus Curatus, fidem faciat eum, vel in proxima infirmitate fuiſſe confeſſum, vel ſaltem in præcedenti paſchate Eccleſiæ præcepto circa pœnitentiæ ſacramentum ſatisfeciſſe, ſi autem id non conſtiterit, ſine Epiſcopi conceſſu non ſepe-

liatur

liatur. Mortui verò in notorio delicto, vel in manifeſto ſtatu damnationis Eccleſiaſtica ſepultura, omnino priuentur.

CAP. VIII.

Ante ſolis ortum, & poſt occaſum mortuum, & efferri, & ad ſepulturam recipi prohibemus, ſi autem aliud faciendum ſit, eius rei faciendæ facultas ab Epiſcopo obtineatur, inter miſſarum veró ſollemnia mortuorum cadauera ſepulturæ gratia in Eccleſiã ne inferantur.

CAP. IX.

Dominicis, feſtiſquè diebus non niſi poſt peracta diuina officia mortuorum funera celebrētur, nec ſolēnis Miſſa eodē die pro defūcto celebretur. Sed vna tantū priuatim legatur. In Paſchalibus autem, & ſolemnioribus feſtis diebus nullo modo in Eccleſiam inferantur, ſine Epiſcopi conceſſu.

CAP. X.

Sacerdotes vita hác mortali defuncti, ſacerdotalibus veſtibus induti efferantur, & ſaltem cū alba ſepeliantur, vt quos viuentes Dominus tanto munēre decorauit, eos etiam mortuos á cæteris diſtinguamus.

Cæteri autem vel ſacris, vel minoribus ordinibus initiati tales in feretro iaceant, quales in Eccleſia ſolemniter pro ratione ſuorum ordinum miniſtrare ſolebant, & ſaltem cum ſuperpelliceo ſepeliantur. Nomen mortui Clerici ſtatim ad Epi-

ſcopum

ſcopum deferatur, & beneficiorum nota, ſi quæ obtinuit, apponatur.

CAP. XI.

COnſtitutio Pij V. omnino ſeruetur, vt ſacræ veſtes, & libri ſpirituales Clerici mortui, cõmuni omnium Clericorum vſui cedant, & in ſacriſtia fideliſſimè aſſeruentur, cuius rei cura ſacriſtæ Eccleſiæ committatur.

CAP. XII.

SIcuti ſancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur: ita impium eſſet facinus, pia defunctis ſuffragia denegare, præſertim ab ijs, qui ad hoc munus, vel Eccleſiæ inſtitutione, vel ex fructuum perceptione obligantur. Propterea mandamus Capitulo, Congregationibus, & Clericis, quibuſcumque, vt debita defunctis anniuerſaria, Miſſas, aliaquè pia ſuffragia exactiſſimè perſoluant, & pro eis ſtatis diebus ſatisfaciant, alioquin certò ſciant, ſe non modo à nobis, & à Canonum iure ſtatutas pœnas ſubituros, ſed diſtrictam omnipotenti Deo neglecti officij rationem reddituros. Non modò igitur ſuffragia non adimantur, ſed ne prorogentur quidem, quando plurimum intereſt, citius, an tardius aliquis à Purgatorij igne eruatur.

CAP. XIII.

FIat in omnibus Eccleſijs, & præſertim in Cathedrali anniuerſariorum tabella, quæ in ſacri-

ſtia

e fidelissime ſtia fidelium ſeruetur: liber etiam omnium Miſſarum, quas & Capitulum legatorum piorum cauſa, & Clerici beneficiorum oneribus celebrare tenentur.

CAP. XIIII.

ET vt ordo in ſancta Eccleſia ſeruetur, præcipimus, & mandamus omnibus, vt ſacerdotes, & beneficiati celebrare obnoxij, quando Miſſas in Tabella notatas celebrant, ſacriſtæ notificent, vt cognoſci valeat, ſi debita ſint, ab ipſis completa, vel ne, ſub pœna arbitratu Epiſcopi: qui vnus poſt alium, ſacriſta iubente ad celebrandum exeant, & ſuis præceptis á nobis, vel noſtro Vicario datis, obtemperent.

CAP. XV.

VT verò præteritorum etiam temporum ratio habeatur, diſtrictè præcipiendo mandamus, Capitulo, Clericiſquè quibuſcunq; noſtris ſubditis, vt anniuerſaria, Miſſæquè omnes, eorum negligentia nondum celebratæ, primo quoq; tempore perſoluantur, adhibitis ſi opus fuerit alterius Eccleſiæ Miniſtris, etiam Regularibus.

CAP. XVI.

SAcra Synodus agnoſcens numerum Miſſarum in Eccleſia hac Cathedrali adeò excreuiſſe, vt non ita facilè ſatisfieri poſſit, ex Concil. Trid. decreto huic incommodo prouidendum neceſſariò duxit (præuia prius accedente informatione,)

tione) vt quoad fieri poteſt, defuncti debitis ſuffragijs non fraudentur, & ſacerdotum inopia ſubleuetur: decernit itaquè, vt pro legatorum modo, & quantitate, talis ineatur ratio, vt pro ſingulis miſſis celebrandis in ſacerdotum eleemoſynam, grana decem imputentur, vt ſi legatum ſit carolenorum triginta, non plures quàm triginta Miſſas Capitulum, vel beneficiatus dicere teneatur. Ad hæc Sacra Congregatio Illuſtriſſ. ac Reuerendiſs. DD. Card. ſuper negotijs Epiſcoporum addendum cenſuit, vt nullum omnino onus Miſſarum, aut anniuerſariorum à Capitùlo huius noſtræ Cathed. Eccleſiæ acceptetur, niſi conſulto Epiſcopo, cuius curæ ſit, ne plus quàm ferre poſſit, recipiat.

CAP. XVII.

QVicumque ſacerdos eleemoſynam acceperit pro defunctorum Miſſis celebrandis, illis ſtatim ſatisfaciat: nec pro pluribus eleemoſynis vnam Miſſam perſoluat, ſi autem adeò tenuis fuerit oblatio, vel eam non recipiat, ſi ſine ſcandalo poteſt, vel dicat, ſe commemorationem pro illo defuncto facturum, ne aliud promittat, & aliud præſtet.

CAP. XVIII.

CLerici omnes tàm ſeculares, quàm regulares ad funus vocati, & congregati, non ante diſcedant, quàm preces omnes pro de-

functo in Eccleſia perſoluantur, & corpus in ſepulcrum illatum fuerit. Abſentes candelis, & eleemoſynis, volumus omnino priuari, præter ægrotos. Cum ad Eccleſiam venerint, omnes corpus ſuo ordine circumſtent, inſtituta officia celebrantes: & cadauera ſepulturæ non tradantur, niſi ad minus viginti horis poſt mortem tranſactis, niſi aliud Epiſcopo ex cauſa videatur.

CAP. XIX.

NEmini quemquam in funere laudare liceat: niſi & eum, quem laudare velit, Epiſcopus dignum cenſuerit, & laudationem ſcriptam ante probarit, liceat tamen in funere concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miſeriam fidelium oculis proponendam, omneſquè ad vigilandum cohortandos, nè cum venerit dominus hora, qua non putarint, inueniat eos dormientes.

CAP. XX.

NE cuiquam ex vlla cuiuſuis ordinis Eccleſia mortui cadauer perpetuæ ſepulturæ traditũ, aſportari liceat, niſi facultate ab Epiſcopo impetrata, eaque litteris nominatim exarata.

CAP. XXI.

MAndamus omnibus, & quibuſcunque Clericis, etiam regularibus cuiuſuis ordinis huius Ciuitatis ſub pœnis noſtro arbitrio reſeruatis, & in ſubſidium inobedientiæ, & contrauentionis ſub pœna excommunicationis, vt fidelium cada-

uera

uera ad ſepeliendum in ſuis Eccleſijs, non efferant abſque licentia Epiſcopi, vel Vicarij, ac nomen, & cognomen defuncti ipſis exprimant, & à quo ſacramenta receperit, & quando in Eccleſijs Regularium ſepeliuntur abſque Capitulo, proprium Curatum vocent, qui cum ſtola incedat, quando cadauer in eorum Eccleſijs defertur.

CAP. XXII.

PRoprijs oculis perſpeximus Clericos Dei, & ſuæ ſanctæ Eccleſiæ ſeruitium reliquiſſe, quando quis vita functus eſt, & ad condolentes viſitandos accedunt, vt quod perpauci Clerici ad proceſſionem, & reliquas Eccleſias curandas, remaneant. Propterea mandamus, vt à modo nemo a dictis oneribus excuſetur, niſi ſint filij, vel fratres defuncti, reliqui verò, qui non adfuerint punctentur, & eleemoſynis, & candelis priuentur, & ſi pertinaciter perſeuerauerint, alijs pœnis arbitratu noſtro puniantur, & prædicti Clerici conſanguinei, nullo pacto celebrare, vel Miſſam audire omittant.

CAP. XXIII.

CLamores, & eiulatus in Eccleſijs omnino prohibentur, vel quemquam in pectoribus ſe, aut proximos, aut familias cedere, capillos ex mulierum capitibus euellere, & ſuper defunctorum pectoribus proijcere.

CAP. XXIIII.

IN Cadaueribus efferendis euitentur longi viarum circuitus, cadauerumuè circumductiones: ſed ea via procedatur, quæ á domo ad Eccleſiam recta, ac breuis ſit, niſi intra illius fines, ordines eorum, qui funus comitantur, contineri non poſſint. Sepulcra non alio modo habere liceat, quàm vti permiſſa ſunt à Conſtitutione Pij V. illiquè quibus cura animarum imminet moneant defunctorum conſanguineos, affineſuè, ne ſuperſtitionis cauſa aliquid apud mortuum in feretro, eiuſuè manibus ponant, quod ſuperſtitionis ſpeciem præſeferat, aut ſuperſtitionem habeat.

CAP. XXV.

EXpleto ſepulturæ officio Clerici etiam regulares, eo ordine, & habitu proceſſionaliter, vt venerunt quilibet ad ſuam Eccleſiam reuertantur, ſub pœna amiſſionis eleemoſynæ eis dandæ, quas in caſu contrauentionis pauperum elargitionibus applicamus.

Mortuorum verò liber à Capituli Cancellario conficiatur ſtudioſè, vt in alicuius rei teſtimonium poſſit, quoties occaſio tulerit exhiberi.

CAP. XXVI.

PRæcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcumque Notarijs huius Ciuitatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, vt infra duos menſes à die depoſitionis numerandos nobis, vel

noſtro

noſtro Vicario notam legatorum piorum afferant, quæ in Teſtamentis conſcripſerunt.

DE CVRATIS.

CAP. I.

CVM in Ciuitate hac noſtra Caſtellanetenſi præter Cathedralem, cui, totius Populi cura ſubeſt, nullæ aliæ ſint Curatæ Eccleſiæ, ſed promiſcuè petentibus ſacramenta adminiſtrent Cathedralis Eccleſiæ Præsbyteri, indequè Populus non leuia plerumquè circa ſalutem animarum ſuarum patiatur detrimenta, curaque ipſa animarum, vti neceſſe eſſet, minimè exerceatur. Nos propterea pro tutiori animarum nobis commiſſarum ſalute, Sacræ Tridentinæ Synodi decretis inhærentes, ſtatuimus, vt diſtincto Populo in quatuor certas, propriaſquè regiones, vnuſquiſquè è populo ſuum proprium, peculiaremq; Rectorem, & Curatum agnoſcat, & habeat, qui eas cognoſcere valeat, eiſdemquè ſacramenta impertire teneatur: His porrò Curatoribus animarũ prouideatur á Capitulo, quod habebit ius eos nominandi, dummodò ſint ex ijs, quos Epiſcopus aptos ad animas regendas, atquè gubernandas iudicauerit. Inter eos quatuor nominatos ſingulas regiones

regiones diuidet Epiſcopus; & eam cuiq; aſſignabit, quam magis expedire in Domino iudicabit. Si Canonici fuerint, aut alia ratione participantes, dùm parochialibus functionibus detinebuntur, ratam portionem diſtributionum lucrentur, nòn ſecus atquè choro, diuinis officijs, cæteriſquè muneribus præſentes intereſſent, atquè ſeruirent. Si ex ijs aliqui abſentia, morbo, aut quouis alio impedimento detenti ſatisfacere muneri ſuo in parte ſibi aſſignata non poterunt, reliqui ſentiant ſe teneri eorum munus, atquè vicem ſupplere, ſine difficultate, aut tergiuerſatione. Quod præcipua quadam ratione probatum, atq; confirmatum eſt à Sacra Congregatione Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. DD. Cardinalium ſuper negotijs Epiſcoporum.

CAP. II.

ET quoniam Deus ponit cuſtodes ſuper Ciuitates ſuas, vt non ceſſent clamare tota die, & nocte. Attendant proptereà animarum Curatores omnes Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ ſibi, & vniuerſo gregi, in quo poſuit eos Spiritus Sanctus tāquam noſtri coadiutores regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, in omnibus laborent, & Miniſterium ſuum impleant ſcientes, quoniam de eorum manibus animas populi requiret Deus.

CAP.

CAP. III.

VNuſquiſquè animarum curator diligenter agrum ſuum exerceat, & oues proprias agnoſcat, quibus præſtò ſit, in memoriam reuocet,& diligenter obſeruet,quæ ſparſim in hac Synodo de ipſis edicta ſunt,& cùm prædicare ſit officiumCurati, vt ſciat neceſſe eſt quando, quiduè ipſe, & quomodo id agere, & præſtare debeat:paſcat igitur plebes ſalutaribus verbis pro ſua, & ipſarum capacitate, & cum breuitate, & facilitate ſermonis, docendo, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & præcipuè annunciando vitia,quæ declinare,& virtutes, quæ ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & gloriam cœleſtem conſequi valeant.

CAP. IIII.

CVrati diebus Dominicis, & feſtiuis omni diligentia doctrinam Chriſtianam pueros doceãt; Patreſq; hortentur,vt filios ſuos ad fidei rudimenta diſcenda mittant ad Eccleſiam, quos ipſi cum omni caſtitate erudiant,omnes præterea edoceant, fidelium actiones à Deo incipere,& in Deo deſinere debere: idcircò ante,& poſt corporis refectionem, & dormitionem teneri nos ex modulo noſtræ capacitatis Domino benedicere, & gratias agere. Admoneãt eoſdem,vt librum habeant,quem memoriale vocant Ludouici Granatenſis viri pij, ſed Curati ipſi libros habeant huiuſmodi ad plebem inſtruendam videlicet. De Animarum Cu-

ra pertractantes, deuè caſibus cōſciētiæ. Et libros ipſi conficiánt, ſcilicet Baptizatorum, Confirmatorum, Coniugatorum, Familiarum, in quo nomina, conditionem, ætatem, ſexumquè fidelium deſcribent, qui fuerint eius curæ concrediti, confitentium, & communicantium. Morientium, in quibus obitus dies, ac ſepulturæ ordine deſcribatur: & eorum, quæ continentur in his libris nemini exemplum accomodent; ſine licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij.

C A P. V.

PRo adminiſtratione ſacramentorum pias conſuetudines obſeruari volumus, prauas verò exactiones, fieri prohibemus. Animaduertant Curati Præfecti dare ſignum pro ijs, qui in extremis laborant, vt fidelis populus eo audito, pro illis oret, idem præſtent ipſi in ſacrificio Miſſæ. Curam habeant de ſuis, qui extra Ciuitatem commorantur, vt in caſu neceſſitatis omnia Eccleſiæ ſacramenta percipiant. Curent etiam, vt habeant ipſi ædes in ſua parochiali vicinia.

C A P. VI.

CVm nonnulla ſacramenta in adminiſtrãdo plurimorum indigeant auxilio, debeantq; Clerici, & Præsbyteri præſertim, qui de Capitulo ſunt, animarum Curam coadiuuare: idcircò liceat animarum Curatori, quando neceſſitas id poſtularit aduocare primo loco ſuæ viciniæ Clericos, &

Præsbyteros,

Præſbyteros, qui ſi pro decenti ſacramentorum adminiſtratione ſufficere non videantur, poſſit eo caſu conuocare etiam alios, teneantur verò omnes ad campanæ ſignum ad id reſpectiuè dandum, ad Eccleſiam conuenire. Contumaces verò pro qualibet vice, caroleni vnius pœna Eccleſiæ eidem applicanda mulctentur, vel grauius puniantur ordinarij arbitratu.

C A P. VII.

ECcleſiæ Cathedralis Curatus Cingaros, & Pauperes vagos, & incertas habentes ſedes curet ſacramenta ſuo tempore ſuſcipere, & Catholicam ducere vitam, & præcipuè, qui in Hoſpitali noſtro diuerſantur, quos diligenter inſpicere debebit, & in dubijs rem deferre ad Epiſcopum.

C A P. VIII.

CHori Præfectus, ſeu ſuperior ibidem exiſtens, eumdem Eccleſiæ maioris Curatum aſſociari curet à Clericis, & Præſbyteris in adminiſtratione ſacramentorum, vt omni, quá decet reuerentia miniſtrentur, præſertim extra Eccleſiam de nocte in caſu neceſſitatis ſacriſtam volumus, ac ſocios eum omnino comitari.

C A P. IX.

CVrati Præfecti habeant Catalogum miſerabilium perſonarum, quæ mendicare erubeſcunt, vt eorum indigentiæ, vel ab Epiſcopo, vel

aliunde poſſit aliquo modo prouideri. Dent operam, vt qui ſacramentorum pœnitentiæ, confirmationis, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ capaces fuerint, illa ſuo tempore ſuſcipiant, eos autem ſacramentorum, quæ ſuſcepturi ſunt vſum, vim, & vtilitatem iuxta cuiuſquè intelligentiæ captum, paterna eruditione doceant, & ad tám diuina myſteria reddant attentos.

CAP. X.

DEcrètum Fel. rec. Pij V. de Medicis circa viſitationem infirmorum ſæpè in eorum memoriam reuocent, & in Eccleſia promulgent.

Mulieres, quæ in vtero geſtant, præſertim cum pariendi tempus acceſſerit, de confeſſione moneant, & benedictiones, quæ puerperis ſolent concedi, in priuatis ædibus nunquam, ſed pro foribus Eccleſiæ largiantur.

CAP. XI.

DOminicis diebus animarum Curator, non ſolùm feſtos dies populo denuntiet, ſed etiam illum, ſæpè doceat, quæ officia tùm illis, tùm in eorum vigilijs colendis ab eo religiosè præſtari oporteat. Eidem prætèrea ſignificet, atque indicet ſtationes, & indulgentias, quæ Epiſcopi iuſſu promulgandæ erunt, & publicam, ſi quæ aliquando ob aliquam cauſam indicta eſt orationem, & proceſſiones, & officia mortuorum Eccleſia obeunda, ſi quæ eiuſmodi in eam hebdomadam inciderint,

derint, vt fideles Curati ſui voce moniti, aut illis interſint, aut ſi minus poſſunt, facta ſanctorum illorum officiorum ſignificatione campanarum ſono, cum iam ante commoniti intelligant, quæ præcationes, quæuè officia in Eccleſia fiant, ipſi etiam quamuis abſint, vel domi, vel alio loco vbicumque ſint, piè Deum precentur.

CAP. XII.

ET quoniam Apoſtolus præcipit, vt fiant omnium primùm obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate: idcirco Curatus fideles, ijs ipſis Dominicis diebus hoc moneat: vt antequam ab Eccleſia diſcedant, pro omnibus infra deſcriptis, ter orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ſanctè precando dicant.

Pro fidei Chriſtianæ, & Sanctæ Eccleſiæ propagatione.

Et pro Summo Pontifice Romano.

Pro Epiſcopo ſuo, & reliquis Paſtoribus animarum.

Pro Catholico Rege, Principibus, & Magiſtratibus.

Pro peccatoribus, vt flagitiorum ſuorum pœnitentes à Deo veniam petant, & à malè agendo

auerſi, ambulent in via Domini.

Vt Hæretici redeuntes ad ſanitatem, Catholicæ Eccleſiæ præceptis erudiantur.

Vt Infideles ab impietatis errore liberentur, & Chriſti Domini fidem amplectantur.

Pro defunctis, præſertim quorum corpora in illa curata Eccleſia quieſcunt, vt à pœnis Purgatorij liberentur.

Tùm prætereà ſi quod malum, vel calamitas impendet, itidem faciant. Túm denique ſi quid eſt, quod Epiſcopi admonitu, iuſſuuè, vel ſuæ curæ hominum, aliquo incommodo laborantium rogatu, vel alia eiuſmodi cauſa, tunc maximè ſanctis orationibus opus eſſe animaduerterit.

CAP. XIII.

ET cum nullum pietatis officium animarum Curator in eorum, qui fidei, curæquè ſuæ crediti ſunt ſalute adiuuanda prætermittere vllo vnquam tempore debeat, tùm hoc etiam audita parochialis cuiuſpiam incolæ morte, præſtet, vt ſtatim pſalmũ De profũdis ſanctè dicat, & omni animi pietate, menteq; ſupplici orationem adhoc officij genus pertinentem adhibeat, vt diues in miſericordia Deus illius animæ miſereatur, cuius etiam ipſe in die iræ rationem eſt redditurus. Vt verò à fidelibus pro mortuo oratio fiat, idem ſignum det campanæ ſono, quo ſignificetur. Aue Maria.

CAP.

CAP. XIIII.

POſtremò omnes animarum Curatores in Domino hortamur, vt pro fidelibus ſuæ curæ commiſſis ſacrificia Deo quandoq; offerant, pauperum curam gerant, infirmos viſitent, morientes conſolentur, ignaros doctrinæ Christianæ rudimenta doceant, omnia denique, quæ bonum, & fidelem animarum Curatorem decent; & Tridentinum Concilium ab eis requirit diligenti cura perficiant, & exequantur.

DE IIS, QVÆ AD CAPITVLVM pertinent.

CAP. I.

CAVEANT Canonici, Præsbyterique omnes huius Cathedralis Eccleſiæ, ne Capitulum, ſeu Congregationes vel parlamenta faciant, nec campana ad ipſa congreganda pulſetur abſque noſtra licentia petita, & obtenta, vel nobis abſentibus noſtri generalis Vicarij, nec aliquid ibi pertractetur, nec concludatur, nec terminetur abſquè noſtra, vel Vicarij, vel alterius à nobis deputandi præſentia; quam licentiam à nobis petant pridie eius diei, quo congregandum eſt Capitulum, ſub pœnis noſtro arbitrio inflingendis

dis, & nihilominus quicquid actum, geſtumuè fuerit, contra formam præſentis conſtitutionis, nullius roboris, vel momenti ſit, prout ita nullum declaramus, conſuetudinibuſquè in contrarium non obſtantibus, iuxta decreta Sacr. Conc. Trid. & Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper conſulta Epiſcoporum nobis, & Capitulo noſtro directa. Liceatquè Epiſcopo horam non autem diem, quo congregandum eſt Capitulum mutare in aliam commodiorem ſibi, iuxta eiuſdem Sacræ Congregationis decretum ſuper hoc latum.

CAP. II.

DEtur campanarum aliquod ſignum futuri capituli, vel pridie eius diei, quo congregandum eſt, vel ſaltem aliquot ante horas, quam inchoetur: vt omnes Canonici, cæteriquè Præsbyteri de Capitulo eò conueniant, ne quemquam ignorantia facti excuſet.

CAP. III.

IN omni Clericali conuentu, quem Eccleſiaſtici homines habuerint à ſtata illa oratione, quæ de Spiritu Sancto dicitur, aut ab alia ad Congregationis vſum accomodata, ille, qui conuentui præeſt initium faciat, neque conuentus dimittatur, niſi perorata ab eodem altera eiuſdem generis oratione.

CAP.

C A P. IIII.

Canonici, & Clerici, qui ius habent dicendæ ſententiam in Capitulum conueniant omnes, nec inde egredi quiſpiam audeat, niſi dimiſſus: qui ſecus fecerit ordinarij arbitratu mulctetur. Neque verò cuiquam locus ſit iocosè, & ſcurriliter in capitulo loquēdi. Si aliquæ inter Canonicos, aut reliquos Eccleſiæ Miniſtros rixæ, contumeliæ, altercationeſuè obortæ fuerint, eos Præfectus, alijquè primates de capitulo ſtatim reconciliare ſtudeant: quos tamen, & alios item homines, qui aliquem eiuſmodi Eccleſiæ Canonicum, aliumuè miniſtrum quouis modo contumelioſis verbis in Capitulo, aut in Eccleſia affecerint: idem, & punctator, aut eorum alter ad Epiſcopum deferant, qui pro culpæ ratione illos, qui deliquerint, plectat arbitratu ſuo. Sin autem præfectus, punctatoruè huic referendi officio defuerit, eiuſdem etiam arbitrio puniatur.

C A P. V.

NVllus verò alterius locum occupet, ſed ſuo loco, ordinequè ſententiam dicat, nec alium dicentem interpellet, qui ſecus fecerit, & ordinem præruperit, pro qualibet vice ſoluat libras ceræ albæ elaboratæ decem pijs vſibus applicandas. Qui verò rixas, & contentiones fecerit, alijs etiam pœnis punietur: & caueant ne capitula, conuentuſuè, procuratores, cœteriquè officiales capituli eo tempore,

pore, quo diuina officia celebrantur, congregent, vel habeant, nec diebus feſtis niſi neceſſitas vrgeat, aut Eccleſiæ vtilitas requirat, impetrata ab Epiſcopo prius licentia.

CAP. VI.

NE cui officium, quod ſibi Capitulum commiſerit, recuſare liceat, niſi legitima de cauſa, qui recuſarit, quantum pecuniæ caperet per ſex menſes Eccleſiæ aſſidue inſeruiendo tantumdem amittat, qui verò ſibi iniuriam à Capitulo fieri putat, ad Epiſcopum cofugiat, qui rem omnem cognoſcat, ac definiat.

CAP. VII.

SI contigerit de aliqua capitulari perſona negotium proponi, & agitari, ea primùm à Capitulo diſcedat, nec niſi peracto negotio reuertatur.

Vota per publica ſuffragia ex huius Cathedralis Eccleſiæ conſuetudine colligantur, Maior, & ſanior pars obtineat, & quicquid actum, geſtumuè in Capitulo fuerit, Capituli Cancellarius fideliter notet, nec laicis temerè detegatur.

CAP. VIII.

PRocuratores ſeu Oeconomi Capituli Cathedralis noſtræ Eccleſiæ, Capitularis Archiuij curæ præſint. Hiquè ſinguli claues ſingulas habeant inter ſe differentes, ita vt vni ſine altero Archiuium aperire non liceat. Archiuij præfecti ſcri-

pta

pta omnia in Archiuio recondita periculo ſuo aſſeruanda accipiant, idquè publici inſtrumenti teſtimonio. Si quid verò fortuiti caſus acciderit id obſeruetur, quod iure cautum eſt. Quam quiſque eorum clauem Archiuij habet, eam, & ſcripta fidei ſuæ commiſſa munere ſuæ curæ annalis confecto ſucceſſori eadem ratione tradat: idquè Canonicis duobus præſentibus à Capitulo delectis.

CAP. IX.

IN eo itidem capituli Archiuio liber vnus ſit, in quem inſtrumenta, & ſcripta cuiuſuis generis, quibus ſingularum dignitatum, Canonicatuum, præbendarumuè bona, iurauè notata ſint, referantur. Scripti autem alicuius exemplar ex Archiuio promi, deſcribiuè ne liceat, niſi capituli conſenſu. Si verò alicuius ſcripti exemplum aliquando exſcribi oporteat, id in loco præſentibus procuratoribus capituli deſcribi liceat, neque vllo alio præterea modo.

CAP. X.

AD euitandas colluſiones, & fraudes, quæ fieri poſſent in detrimētum diuini cultus, & ſeruitij huius Eccleſiæ, mandamus omnibus, & quibuſcumque officialibus, procuratoribus, ſeu Oeconomis prædicti Capituli Cathedralis Eccleſiæ huius, vt ex hoc tempore reditus, oblationes, diſtributiones quotidianæ, & quæcumque aliæ obuentiones Clericis in fine anni non di-

uidantur, neque dentur; niſi prius omnia nobis ſignificauerint, & rationem omnium, & redituum, & expenſarum dederint ijs, qui à rationibus ſunt, à capitulo eligendis coram nobis, vt ritè & rectè omnia ſecundum Deum fiant, iuxta decretum ſuper hoc latum ab Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis D D. Cardinalibus Sacræ Congregationis ſuper Conſulta Epiſcoporum per eorum litteras ad nos, & Capitulum noſtrum datas demonſtratum: & contrafacientes à nobis, & ſucceſſoribus noſtris grauiter punientur.

CAP. XI.

HOc præſenti decreto edicimus ne in poſterũ litteræ, quæ ad Capitulum noſtræ Eccleſiæ Cathedralis mittentur, vel ab eodem ad alios dabuntur, legantur, ſubſcribanturuè, ſigilloquè capituli muniantur: niſi coram capitulo legitimè cõgregato, prout à prædictis Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis D D. Cardinalibus decretum, atque aliàs ſtatutum fuit. Qui ſecus fecerit grauiter ab Epiſcopo puniatur.

CAP. XII.

COnſuetudinem illam huius noſtri capituli, quæ participantium ſacerdotum de Menſæ communis bonis ad quadraginta numerum præfinita eſt, tanquam laudabilem approbantes confirmamus, iubemuſquè, vt nullus poſthac quauis de cauſa vltra prædictum numerum in capitulo admittatur:

mittatur: ſtatuentes item, vt quilibet Canonicus ſacris initiatus, vel Clericus vbi ad ſacerdotij dignitatem peruenerit, ſtatim ad Menſæ communis fructus, ac prouentus participationem admittatur: dummodò quadragenarius numerus non traſcendatur. Quibuſcumque conſuetudinibus non obſtantibus: & quidem hæc ex ſententia Illuſtriſſimorum, ac Reuerendiſſimorum DD. Card. Sacræ Congregationis ſuper negotijs Epiſcoporum.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS, earumque cultu, & veneratione.

CAPVT I.

SI Legati, ac Proconſules in aliquam inſignem Ciuitatem, vel Prouinciæ Metropolim aduenturi ſacras gentilium Ædes, & delubra circuire inſpiciendi gratia, an ſarta tectaquè eſſent, vel aliqua reſtauratione indigerent, & ſi quæ cœpta forent, vt conſummarentur, prout vires eius Reipublicæ permittebant curare tenebantur: Quid Epiſcopum hac in re vniuerſumque Clerum, atque fidelem populum doceat ſatis innoteſcit Propheta item dicente: Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Templum Dei ſanctum eſt, in quo orat ſa-

cerdos pro delictis, & peccatis omnium populorum. Quod ſi ſanctum ſolicitè caueamus, vt quod eget refectione reficiatur, vetuſtateuè collapſas, aut alias collabentes Eccleſias reparari, inſtaurarique ex earum fructibus, & prouentibus quibuſcumque, procuremus, ne & quæ Deo Optimo Maximo, ſacriſquè miniſterijs dicata ſunt, temporum iniuria obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant.

CAP. II.

IN Eccleſijs autem noſtris circa Oratorium hoſpitalis, ac religioſè cuiuslibet domus, Capellarum, Altarium, Baptiſterij, Sacriſtiæ, Sepulchrorum, alteriuſuè loci pij, quocumque nomine cenſeantur nouam conſtructionem, & reparationem, etiam de conſenſu noſtro, vel ſucceſſorum noſtrorum faciendam, & earundem ornatum, & ad ſacrorum indumentorum, veſtiumuè apparatum, & ad omnem ſacrorum vaſorum ſupellectilem, & ad alia eius generis pertinent, tùm ad eius cultum, & vſum, tùm ad Miſſæ ſacrificium in eo Religioſè, decorequè peragendum Eccleſiæ Mediolanenſis fabricæ inſtructiones ſtudioſè ſeruetur: id verò omne ſeruetur quantum per facultates præſtari licet, niſi aliquando aliqua de cauſa Epiſcopus aliter cenſuerit.

CAP. III.

QVoniam domum Dei decet ſanctitudo, decet etiam vt cuius in pace factus eſt locus, eius cultus ſit cum debita veneratione pacificus: propterea ad Eccleſias ſit humilis, & deuotus ingreſſus, quieta conuerſatio, Deo grata, & inſpicientibus placida; quæ conſiderantes non ſolùm inſtruat, ſed reficiat, & omnes deuotis orationibus inſiſtant, genibuſquè flexis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adorent, ad nomen Domini Noſtri Ieſu Chriſti, eiuſquè Beatiſſimæ Matris ſemper Virginis Mariæ reuerenter caput inclinent, & nemini liceat dùm ſanctiſſima, & tremenda Miſſæ myſteria peragũtur, Verbum Dei prædicatur, & horæ Canonicæ recitantur in Eccleſijs ſpatiari, & deambulari; ſed ſeculares omnes in eis actiones, vana, atque prophana eloquia, ſeculares conuentus, iudicia, ſtrepitus, commeſſationes, clamores, puerorum ſcholæ, homines ſclopetis, & haſtis, & baleſtris armati, militarium ſtipendiorum ſolutiones, Mulierum, ac Virorum in defunctorum officijs voces, & planctus, ac adoleſcentes, & iuuenes illi, qui præ Eccleſiæ foribus inſpiciendarum fœminarum cauſa morantur, & ſimiles per Sacriſtas, vel cæremoniarum Magiſtrum, vel eum cui id muneris ab Epiſcopo, vel eius Vicario demandatum fuerit, prohibeantur: ſciantquè omnes ſe in templo non in foro eſſe, ceſſent riſus, rixæ,

&

& ſermones etiam ſerij, pro tanti ſacramenti, & loci reuerentia. Clerici verò, qui riſus, contentiones, & ſimilia in Eccleſijs, & ſacrarijs excitant, grauiter arbitratu Epiſcopi puniantur: & laici poſtquam per edictum moniti fuerint excommunicentur. Pro foribus, Atrijſuè Eccleſiæ, præſertim, quo tempore ſacra, diuinaquè officia celebrantur, ne pila ludatur, aut aliud quicquam fiat, agaturuè, vnde ſtrepitus, clamoreſuè excitentur, quibus diuinorum officiorum preces interturbentur. Qui ſecus fecerit pœnam, mulctamuè ſubeat arbitratu Epiſcopi.

C A P. IIII.

IN Eccleſia ita fideles ſedeant, vt ſanctiſſimam Euchariſtiam à tergo non habeant: Altaribus non incumbant, vel ſuper illa aliquid faciant, vel ſcribant, vel confabulentur, nec fontibus aquæ benedictæ inhæreant: cum mulieribus, quæ malè audiunt non colloquantur: venaticos canes, aut aues cæteraquè huiuſmodi in Eccleſiam ne inferant: neque negligentia, aut procacitate alicuius diuinum officium turbetur. Nihil à quoquam ante fores Eccleſiæ venale proponatur: & pauperes non in Eccleſijs, ſed pro foribus earum eleemoſynas quærant, qui in ijs deliquerit primò à Rectoribus, vel Sacriſtis Eccleſiæ corripiatur: ſi pertinax fuerit ab Eccle-

ſia

ſia expellatur, ſi id obtineri non poterit ad Epiſcopum deferatur.

CAP. V.

Vigiliæ Nocturnæ, & pernoctationes ab Eccleſijs penitus amoueantur. Niſi ſolemnis dies ſit, Eccleſiæ fores clauſæ ſemper teneantur: nec alijs diebus referentur, niſi cum diuina officia celebrantur: ab aurora ſcilicet vſque ad Meridiem, & à primo Veſperarum ſigno vſque ad completorium officium perpratum, in Vigilijs item maiorum ſolemnitatum vſque ad occaſum ſolis apertæ remaneant, idem in maiori hebdomada ſeruetur pro confeſſionibus audiendis: exempto etiam eo tempore quo in Cathedrali Eccleſia quadraginta horarum habetur oratio, vel alias vbi conſueuit ex vniuerſalis Eccleſiæ ritu Eccleſias omnes omnibus patere.

CAP. VI.

Nemo deinceps Eccleſiam ædificet, vel oratorium in Agro inconſulto Epiſcopo, & ſcripta facultate ab eo obtinenda, qui etiam locum deſignet, quidue in ijs ad diuinum cultum neceſſarium videbitur conſtituat, ac de omnibns ijs prouideri mandet, ſine quibus Miſſæ ſacrificium fieri non poteſt.

CAP. VII.

Nullus etiam Canonicus, aut alius maiori gradu, dignitateuè in Eccleſia vlla præditus excuſetur

cuſetur, quominus Altare ſuum, Capellamuè, quam obtinet inſtruat, ornetquè, ac propriam illis indumentorum, & reliquam omnem neceſſariam ſupellectilem comparet.

CAP. VIII.

ECcleſias collapſas, vel ruinam minantes Capellani reficiant, & ſi dotem non habent, vel ſunt adeò tenues, vt non ſufficiant (ſi tamen culpa eorum non corruerunt) ſeruetur decretum Sacri Concil. Tridentini ſeſſionis xxj. cap. vij. lapides, cæmenta, & omnis eorum locorum materia abſque Epiſcopi authoritate ad ædificia prophana non adhibeantur.

CAP. IX.

ECcleſia, ſi quæ aliquando quauis authoritate prophananda eſt, vt nè vario cæremoniarum vſu, ſed certa, & vna, eademquè ratione prophanatio fiat, ita, vt infra præſcribitur, prophanetur.

Primò ſi quæ ſacræ Reliquiæ, corporauè ſanctorum in ea reconduntur, aliquot ante prophanationem diebus, diligenter recognita ad Eccleſiam, in quam transferri Epiſcopo placuerit, ritè ex præſcripta ratione transferantur.

Ad quam ſacrarum reliquiarum translationem illius viciniæ, Eccleſiæquè Clerus in primis conueniat, in quam deferuntur, conuocato etiam eiuſdem viciniæ populo: ſacræ etiam imagines, eò

transferantur.

transferantur. Deinde Eccleſiæ Altaria per ſacerdotem, cui Epiſcopus prophanationis facultatem, ſcripto exaratam nominatim dederit, hac cæremonia amouebuntur. Primúm aliquantiſper genibus ante altare prophanandum flexis, tacitè orans, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & orationem de ſancto dicat, cuius nomini altare dicatum eſt: tùm vbi orauerit illud ab omni parte detegat, lapidem conſecratum ita aptè euellat, vt ne confringat, tùm manibus ſuis lauet, atque abſtergat, deinde áquam in ſacrarium effundat: lapide ita amoto diligenter, religioſéq; perſpiciat, ſi quæ ſacræ Reliquiæ inſunt, quas inuentas certo, honeſtoque loculo clauſas, atque obſignatas obſeruet, & vbi Epiſcopo denuntiarit in Eccleſia, ad quam translatio fit ad Epiſcopi præſcriptum recondendas, & aſſeruandas tradat: tùm reliqua altaris pars ab operarijs amoueatur. Idque omne in ſingulis altaribus amouendis ritè ſeruetur.

CAP. X.

PRætereà alio poſt altarium amotionem die per homines, quos Epiſcopus adhibere voluerit fidelium oſſa exhumentur: vnoque loco collecta reponantur, præſente eodem ſacerdote, qui antequam exhumationis initium fiat, tacitus item vt ſupra ad altare maius precetur, cum proceſſione Cleri, & populi viciniæ infra cuius fines Eccle-

ſia prophanata eſt oſſa efferrentur ad locum, vbi reponenda ſunt: Dumque efferuntur, vt pro mortuis ſit precum officium dicatur, tùm in Eccleſiæ loco, vbi reponentur viciniori pro mortuis itidem Miſſæ ſacrificium fiat.

CAP. XI.

IN Eccleſijs autem dirutis, ad vſumque prophanum conuerſis, crucis inſigne figatur ex Tridentini Concilij ſanctione, quod ſignum facilè amoueri non queat.

CAP. XII.

ET ne ſacra prophanis miſceantur, parietibus Eccleſiarum nihil immundum, aut prophanum adhæreat, nec quicquam prophani in ipſis intromittatur, reponatur, nec conſeruetur ſub pœnis arbitratu Epiſcopi, & amiſſionis earum: ſed mundæ, & dealbatæ conſpiciantur: tectum non ſit pluuioſum, pauimentum ſit integrum, & æquale, & pro ſepeliendis mortuis non deformetur, & patroni Eccleſiarum, & ſepulchrorum reſpectiuè infra menſem accomodent: & feneſtræ habeant ſpecularia ſua ſaltem ex tela linea incerata (vt vocant) & quælibet Eccleſia ſacrarium habeat, vbi lotiones rerum ſacrarum infundantur.

CAP. XIII.

IN omnibus Eccleſijs ad ipſarum hoſtia á latere verò ingredientium, vbi poteſt dextero, vas aquæ benedictæ conſtituatur è marmore, lapideuè

ſolido.

ſolido, non lateritio, neque ſpongioſo conſtet, aſpergillumquè decens appenſum habeat, non ſpongia, ſed è ſetis confectum aliauè decenti forma.

CAP. XIIII.

NEmo veſtes, vaſa, vel alia ornamenta ſacris addicta, aut omnino quidquam ex ſacra ſuppellectili, prophanis hominibus, aut ad prophanum vſum accommodare audeat, qui ſecus fecerit, pœnis ſubiaceat, quas Epiſcopus iudicarit.

CAP. XV.

NE ſepulturæ locus quouis nomine cuiquam detur: neuè ſepulchra fiant, conſtruanturuè in vlla quauis Eccleſia ſine Epiſcopi conceſſu, ſcriptis exarato. In choro autem, vel capella maiori nullo modo, nec verò in alijs Eccleſiæ locis propè altaria, niſi tàm longè ſepulchra diſtent, vt ſepulchrale os à ſcabello, ſeù bradella Altaris procul abſit ſpatio ſaltem cubitorum trium. Quæ autem proprius extructa iam ſunt, omnino amoueri, obſtruiuè decernimus.

CAP. XVI.

FOrnicato opere ſepulchra fiant: quæque è ſolo Eccleſiæ nullo modò extent, emineantuè: ſed illud planè adæquent. Ab vtroque Eccleſiæ latere dextero ſcilicet, ac ſiniſtro, eo ordine diſpoſita extruantur, vt è regione ſibi ſingula reſpondeant. Operiantur, ne vllo vnquam tempore fæ-

teant duplici integumento, quod forma quadrata è lapide ſolido ſit, ita tamen vt inferius integumentum è rudi, illud autem ſuperius è polito lapide ſtruatur, Eccldſiæ pauimento æquale, quod item ſepulchrali ori vndique aptè cohereat: in quo ſuperiori integumento, ne crux, ſacraq; alia imago ſculpatur, nec quicquam aliud, quod ab Epiſcopo prius probatum non ſit.

Quæ ſepulchra modò ſunt marmore, vel petra ſolida non tecta, niſi duorum menſium ſpatio aptè tegantur, humo oppleantur adæquato ſolo, ac nemo prætereà in illis deinceps ſepeliatur.

CAP. XVII.

CÆmeteria verò muro, vel alio modo tutò vndique ſepiantur, & eorum ingreſſus beſtijs occludatur. In eorum medio Crux firmiter erecta ſit: quam aliquo etiam decenti integumento operiri, conueniens erit. Ab herbis tertio quoque menſe expurgentur, & arbores aut vites in eis non plantentur, & ſi adſint extirpentur: Neuè quid immundum fiat, præſertim à pueris.

CAP. XVIII.

CVrata Eccleſia ſi campanas tres grãdiorem ſcilicet, mediam, & minimam habere non poſſit, ſaltem duas, vbi fieri poteſt habeat, eaſquè diſtincto ſoni concentu inter ſe rectè conſentientes pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt,

ratione,

ratione, & ſignificatione. Simplex Eccleſia oratoriumuè vnam tantum campanulam habeat, vt Iohannis XXII. Pontificis conſtitutione ſancitum eſt. Campanis autem ipſis, res nulla prophana deinceps inſculpatur, inſcribaturuè, ſed crux, & ſacra aliqua imago, vtpote Sancti Patroni Eccleſiæ, piaue inſcriptio. Neque rurſus eæ in Turrim Campanilem ſuſtollantur antequam ab Epiſcopo ritè precibus, ac benedictione conſecratæ ſint.

CAP. XIX.

QVamuis nemo ignoret non debere in Eccleſijs ſepelliri, qui ad Eccleſiam non pertinent, vt Infideles, Iudæi, Hæretici, omnes excōmunicati publicè, interdicti, vſurarij manifeſti, in peccato mortali notoriè morientes, præſertim in duello, tamen admoneantur Curati Præfecti (ne aliquando decipiantur) vt pueros non baptizatos in Eccleſijs, & in cæmiterijs non ſepeliant, neque mulieres prægnantes, niſi prius ſecto ventre ex eis extrahatur fætus, ſi credatur eum viuere.

DE IMMVNITATE *Eccleſiaſtica*.

CAP. I.

QVoniam multa pro Eccleſiarum immunitate Eccleſiaſticarumque perſonarum priuilegijs

uilegijs, cùm ex Canonum, tùm etiam Conciliorum, ſummorumque Pontificum definitionibus ſcripta, ſancitaq; hactenus fuerunt, nihil eſt quod in præſentiarum de ipſius Eccleſiaſticæ libertatis obſeruatione in hac Diœceſana noſtra Synodo, dicere poſſimus, præterquam quod Curatis omnino præcipimus, vt in ſingulis eorum Curatis Eccleſijs quemadmodum in noſtra Cathedrali, Proceſſum ſiue bullam in Die Cœnæ Domini, legi ſolitam ſemel in anno, aut ſæpius ſi ita expedire videbitur in maiori populi frequentia dum diuina peraguntur vulgari ſermone ſolemniter publicent, atque declarent, fideles omnes admonendo, & exhortando, vt Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumquè perſonarum priuilegia, & immunitates illæſa conſeruent, & illa violare non præſumant, & pedagia, vt Clerici carius emant imponentes vel exigentes per ſe, vel per alios, ſiue directè, ſiue indirectè quos omnes Anathematis mucrone damnatos cunctis ipſi patefaciant.

CAP. II.

OMnes verò Eccleſiaſticas perſonas, & eorum bona, libertatem, commoda, & iura omnia, Principibus, & Magiſtratibus ſummoperè commēdamus admonentes Eccleſiaſticam immunitatem, ſiue ad hominum vitam, ſiue ad bonorum poſſeſſionem, fructuſquè pertineat, Dei ordinatione, Summorum Pontificum decretis, & Sanctorum

Conci-

Conciliorum auctoritate firmatam nulla ratione violandam eſſe. Neque enim Princeps, & Magiſtratus res Eccleſiaſticas attentare, neque ſacros, ac religioſos homines ad ſuum iudicium, poteſtatemque reuocare, neque Deo addictis bonis manum inijcere, aut vllum onus imponere debent. Immo verò meminiſſe oportet, quas à Deo facultates conſequuti ſunt, eas ad ipſius Dei gloriam & honorem, hominum ſacrorum ſalutem, & incolumitatem conferendas eſſe: qui pro eorum quiete, ac felicitate Deo preces aſſiduè faciunt. Cuius officium cum maximè intelligentes fore confidimus, in primis Catholicum, eundemque Potentiſſimum Hyſpaniarum Regem, & reliquos deinceps huius Regni, & præſertim huius Prouinciæ Principes dubitare non poſſumus, vt eorum Magiſtratus, & Communitates nihil aduerſus immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam vllo vnquam tempore moliantur. Quod ita vt fiat, nos pro noſtri officij munere, curare, & eniti debemus.

CAP. III.

NVllus propterea Magiſtratus, aut Curiæ Miniſter, abſque Epiſcopi permiſſu, facultateuè contra Canonum iura, Clericos, ac Religioſos, quoſuis homines inuadere, capere, vel in vincula conijcere audeat, vel præſumat, ſed ſi errantes aliquos deprehenderit illos ad ordinarium deferat, cuius erunt partes pro delicti ratione in ea

actione

actione procedere.

CAP. IIII.

COnfugientibus ad Eccleſias, & loca ſacra, nulla vis contra ſacros Canones inferatur. Notoriè varò criminoſos, aut exules damnatos Eccleſiaſtici homines ſine Epiſcopi conceſſu, ne recipiant, contrafacientes ſeueriſſimè ab ipſo punientur. Sed quoties ab aliquo exule damnato vel criminoſo, qui in loco libero ſit poſtuletur, vt illum in ſuis Eccleſijs, cæmeterijs, vel domibus recipiant omnino antequam aſſentiantur, ordinarium conſulant, & quidquid ille, tali in re cenſuerit, faciant.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

CAP. I.

ECCLESIARVM res quamplurimæ, aut deſtitutæ defenſoribus, aut etiam ab ijs, quibus earum procuratio credita erat, proditæ, ita perierunt, vt monimentis vel interceptis, vel perditis nulla ſpes iam reliqua videatur illas in ius ſuum vindicandi. Id ne deinceps accidat, neuè quiſquam quod in Ieſu Chriſti patrimonio negli-

gentior ſit, quàm in ſuo, meritò reprehendi poſſit ſtatuimus, quòd Capitulum noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, & omnes beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, Hoſpitalis etiam, ac quorumcumque piorum locorum, & confratriarum Gubernatores, ſeù adminiſtratores infra duos menſes poſt Synodi huius celebrationem inuentarium omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum, annuorum cenſuum, ſiuè redituum, nominumuè debitorum, & aliorum quorumcumque ad ſuas Eccleſias, & pia loca, & confratrias quocumque iure pertinentium rationem diligentiſſimè conquirendam, & eorum omnium inuentarium, in quo locorum etiam fines, conditioneſquè omnes ſigillatim deſcribantur, per publicum Notarium conficiendum curent: ſingulis tribus annis renouandum iuxta conſtitutionem felic. recor. Sixti Quinti, Cancellarioque Epiſcopali tradant, vt in Archiuio ſeruetur, cuius exemplum authenticum in eorum quoque capitulari Archiuio diligenter retinebunt. Volumuſquè etiam vt prima Dominica Aduentus, & prima Quadrageſimæ quolibet anno legatur vulgari ſermone Decretum Sac. Concil. Trid. contra occupantes bona Eccleſiaſtica ſeſſ. xxij. cap. 1. Qui in his, vel negligentia, vel contumacia, vel fraude peccauerit Epiſcopi arbitrio punietur.

CAP. II.

BOnorum, rerumque Eccleſiaſticarum gubernatores, ac adminiſtratores præſtiti iuramenti memores, quæcumque bona, aliqua iniqua ratione ablata compererint, omnibus ſuis viribus recuperare ſtudeant. Res, & ornamenta Eccleſiarum ſingulis annis, ab illarum Rectoribus, & adminiſtratoribus inſpiciantur, & in indicem referantur, vt ſi quid erit lacerum reſarciri, ſi quid auctum ſciri, ſi quid deperditum requiri poſſit ab eo, cuius fidei, & curæ creditum eſt.

CAP. III.

ECcleſiaſtica bona in damnum Eccleſiarum, & ſine iuris ſolemnitate alienata, ab ijs, ad quos ſpectat, in priſtinam Eccleſiaſticorum hominum poteſtatem, dominium, & poſſeſſionem omnino vindicanda ſunt: nullique beneficiati deinceps dicta bona alienare liceat, niſi iuxtà Sacrorum Canonum, & Summorum Pontificum diſpoſitionem, priuſquam Epiſcopus de ea re admoneatur: alioquin alienatio irrita declaretur, inualida, & inanis: & alienans Epiſcopi arbitratu puniatur. Et Beneficiati prædicti ſi bona Eccleſiaſtica, ſtabiliaquè quibuſuis conceſſa fuerint, caduca facta inuenerint, pœnam caducitatis non remittant, alioquin ab Epiſcopo grauiter punientur.

CAP. IIII.

ECcleſiaſtici viri, domos, fundoſquè dotales beneficiorum ſuorum collapſos inſtaurent, quantum neceſſitas poſtulabit, reſtitutaquè in debita ſtructura conſeruent. Negligentes fructuum ſubtractione, & alijs grauioribus pœnis mulctentur.

CAP. V.

QVoniam compertum eſt bonorum, rerumquè Eccleſiaſticarum álienationes fieri ſæpè ſub conditione, vt ſcilicet illarum confirmatio ab Apoſtolica Sede impetretur, interim autem poſſideri ápprobatione huiuſmodi non obtenta, in graue Eccleſiarum præiudicium, ac damnum, & animarum ipſorum contrahentium periculum: Idcircò præcipimus, vt nullus, virtute cuiuslibet contractus audeat, vel præſumat verbo, vel facto bonorum Eccleſiaſticorum à ſe poſſeſſionem abdicare, niſi Apoſtòlicus aſſenſus re ipſa fuerit obtentus, & legitimæ præceſſerint ſolemnitates: & ſi qua bona ſtabilia, iuraquè Eccleſiarum, quæ ſub annuo cenſu, vel quouis álio modo concedi conſueuerunt, ad Eccleſiam aliquó caſu fuerint deuoluta; nullo modo deinceps ſub cenſu conſueto, vel alio, inconſulto Epiſcopo alienentur, vel concedantur.

CAP. VI.

QVi bona Eccleſiaſtica, vel quorumcumque piorum locorum, tàm mobilia, quàm ſtabilia, territoria, vineas, pomaria, domos, iura, cenſus, actiones, & quaſcumque res, ad Eccleſias pertinentes, & præcipuè harum noſtrarum Eccleſiarum, & Epiſcopalis noſtræ menſæ iniuſtè abſq; Canonico titulo detinent, vſurpant, vel quouis quæſito, & figurato colore id agunt, vt Eccleſiæ ea non habeant, & poſſideant, ſi infra terminum dierum triginta peremptoriè, quorum decem pro primo, decem pro ſecundo, & reliquos decem pro tertio, & vltimo peremptorio termino, ac vnicam pro trina monitione aſſignamus, ipſa vnà cum fructibus malè perceptis dictis Eccleſijs, ac eorum patronis, & adminiſtratoribus in effectu non reſtituerint, relaxauerint, & tradiderint, ſint ipſo facto, ipſoquè iure excommunicati, iuxta ſanctionem Sacri Conc. Trid. cuius excommunicationis abſolutionem, poſt factam debitam Eccleſiæ reſtitutionem, ad Summum Romanum Pontificem pertinere declaramus.

CAP. VII.

VT Trid. Concilij ſanctioni aliqua ex parte ſatisfiat, hanc curam ſuſcipimus, vt vnà cum Canonico, & altero de Clero à nobis deligendo recognoſcamus etiam ex officio, quaſcumque locationes bonorum Eccleſiaſticorum ad longum

gum tempus à triginta annis factas, & ſi eas in dãnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones cõtractas fuiſſe adiudicauerimus: irritas, & nullas declarabimus.

CAP. VIII.

VNiuerſitas, laiciuè homines, etiam qui ius patronatus habent, qui bona, cenſum, iurauè beneficij Eccleſiaſtici, aut loci pij, quocumque modo vſurpauerint, aut eorum poſſeſſionem detinuerint, Anathema, & alias pœnas ſubeant decreto Tridentino conſtitutas, non obſtante quocumque antiquo vſu, poſſeſſioneuè. Hoc verò decretum cum illo vulgariter redditum populo edici, atque promulgari, ſæpè iubemus, quò diligentius tale crimen caueatur.

QVÆ AD SCHOLAS, CONFRATRIAS, *& ad loca pia pertinent.*

CAPVT I.

QVICVMQVE piorum locorum adminiſtrationem, procurationemuè ſuſcipiunt, geruntuè, illud in primis ſæpè meminiſſe debent ſe pauperum, pupillorum, viduarum, ſenum, egeſtate, aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum, aliena ope egentium,

tium, prout propria vniuſcuiuſque loci inſtituta ratio eſt, curam ſuſtinere, & illam quidem tanti eſſe, vt cum potiſſimum Epiſcopo, tamquam cõmuni omnium, & eorum præcipuè miſerabilium hominum parenti, ea ſacroſanctis Canonum legibus commiſſa ſit, cum quicquid in illos, vel miſericordiæ, vel beneficij, vel opis, vel operæ, vel officij confertur: quicquid rurſus damni, detrimenti, iniuriæuè infertur, id omne Chriſtus Dominus ſæpè in Euangelio demonſtret, in ſe collatum, aut illatum eſſe: ac proptereà ſe in die Iudicij prout benè illis factum, aut neglectum, omiſſumuè in eorum neceſſitatibus ſubleuandis erit retributurum. Quamobrem primò ij valde curent, vt omnibus ſuſcepti muneris partibus ſatisfaciant: deinde videant, vt nihil quicquam á curæ, quam gerunt ratione, alienum vllo pacto, vllouè modo admittant: tùm id ſollicitè ſtudeant, vt quæ officia illis pro adminiſtrationis ſuſceptæ munere debent, ea obeant, atque adeò præſtent omni piæ charitatis affectu, ob oculos maximè in ijs ipſis propoſito ſemper Chriſto Domino, cui illis, & alendis, & veſtiendis cibum, potum, veſtitum, aliamuè curam, atque operam miniſtrant. Non ſuis, ſed eorum, quorum curam ſuſceperunt commodis, atque vtilitatibus ſeruiant.

CAP.

CAP. II.

OMmnibus piè conſulant, nec vllam partem pro ſuſceptæ curationis, procurationiſuè officio negligant. Munus quod gerunt ſæpè ſibi proponant eiuſmodi eſſe, in quo non prophanæ cuiuſquè adminiſtrationis, negotijuè, ſed ſanctæ ſpiritualiſquè actionis partes, atque officia, & Deo gratiſſima charitatis opera exequantur, piè, religioſè, & quàm diligentiſſimè.

CAP. III.

CVm capitula, vel comitia ſodalitatis habent, tũ initio, tùm in fine ſanctis precibus, & orationibus, in libro officij Beatiſſimæ Virginis Mariæ eo nomine præſcriptis vtantur. Cum verò aliquid aggrediuntur, quod ad curæ ſuæ rationes pertineat, initium à pia oratione faciant, vt quod inchoatur benè, ſalutariterquè ſuccedat: omni denique morum grauitate, vitæ integritate, pietatis religione, & ſpiritualium exercitationum, Epiſcopo probatarum, quas inter ſe collegiatim præſtent, ſtudijs tales ſe præbeant, vt eorum locorum rectam adminiſtrationem, piamquè inſtitutionem, non ſolùm conſeruent: ſed optimis progreſſionibus, Deo Auctore adiuuent, atque amplificent.

CAP. IIII.

HOſpitalia, Confraternitates, & alia pia loca fidelium eleemoſynis erecta, iuxta fundantium

dantium, & dotantium voluntates diligenter, vt decet adminiſtrentur, & gubernentur, ac eorum ædificia ruinam minantia, inſtaurentur: & tàm ipſa loca, quàm eorum bona, cubilia, & alia his ſimilia nitida, munda: & pro infirmis, & Chriſti pauperibus accomodata habeant:

CAP. V.

ADminiſtratores, gubernatoresuè, tàm Eccleſiaſtici, quàm Laici omnium confraternitatum, & piorum locorum huius noſtræ Ciuitatis ſingulis annis, ab omnibus collegialiter congregatis, in die feſtiuitatis eorum Eccleſiæ, vel quando ſolent, eligantur. Tùm etiam ex Trid. Conc. decreto ſemel ſaltem in anno rationes ſuæ adminiſtrationis, curæuè coram nobis, vel noſtro generali Vicario, & Computiſta à nobis deputando reddant: vt conſtet quomodo fructus eorum locorum erogati fuerint: caueantquè, ne bona ſtabilia dictorum locorum vendant, permutent, vel quouis modo alienent, inconſulto Romano Pontifice, ſub pœnis Sacrarum Conſtitutionum in ſimilibus aduerſus contrauenientes comminatis.

CAP. VI.

QVi piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura etiam feudalia, & emphyteotica, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates conuerti debent, quocumque modo, in proprios

prios vſus conuerterit, aut impedire, aut occupare temerè auſus fuerit, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur, is eo anathematis iaculo feriatur, qui non poſſit, niſi per Romanum Summum Pontificem liberari. Propterea curet Epiſcopus, vt Sacri Concilij Tridentini decretum ſæpè in memoriam reuocet populorum ſuorum.

CAP. VII.

QVi pecuniam confraternitatibus, aut huiuſmodi pijs locis quocumque nomine debent illorum adminiſtratores, & gubernatores eſſe non poſſint. Quicumque autem ad hoc munus eligentur, iurent prius in manibus Epiſcopi, vel eius generalis Vicarij ſe fideliter, & accuratè officium ſuum exequuturos, vt ſcilicet nec eleemoſynas in ſuum commodum conuertant, & fructus, qui pauperibus addicti fuerint, veris pauperibus diſtribuant; & demum ad inſtar boni procuratoris vtilia agant, & inutilia prætermittant. Qui contrafecerit ad reſtitutionem legitimè compellatur, & ab officio ſi Epiſcopo videbitur amoueatur.

CAP. VIII.

EOſdemquè adminiſtratores monemus, qui eleemoſynam erogare, quouis modo, aut nomine debent, vt ſibi in ea erogatione Curati in primis teſtimonium, conſiliumquè adhibere ſtudeant, quo melius conſultum ſit, ac proſpectum conſcientiæ ſuæ, cum ille pauperum, & egentium

notitiam magis exploratam habeat. Epiſcopum etiam in maioribus eleemoſynarum elargitionibus omnino conſulant, eiuſquè præceptum omnino ſeruent.

CAP. IX.

IN pauperum delectu non ſolùm egeſtatis, inopiæquè, ſed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio habeatur: quo in genere, hæc præter cætera de illis inueſtigentur.

An ſcilicet doctrinæ Chriſtianæ Scholas frequentent.

An prima rudimenta fidei teneant.

An religioſè, & piè viuant.

CAP. X.

MAres cum fœminis in hoſpitali huius noſtræ Ciuitatis non verſentur, nè matrimonij quidem gratia, niſi id certiſſimè conſtet. Neuè ea loca, quæ bonorum ſubſidio ſunt addicta, circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & iſtuſmodi nequiſſimis hominibus pateant.

CAP. XI.

MEndici morbos ſimulantes amoueantur, nè deſidiæ dediti, oſtiatim in triuijs, aut in Eccleſijs mendicantes aliorum pauperum eleemoſynas, & ſubſidia præripiant.

CAP. XII.

NE cuiuſuis Confratriæ, Scholæuè Præfectus in confratriæ ſuæ numero quemquam doctri-

næ Chriſtianæ omnino rudem, atque ignarum aſcribi permittat, cuiuſcumque ætatis, aut conditionis ille ſit. Id verò curæ ſit Sacerdoti proprio illius confratriæ, vel curato, in cuius finibus eſt.

CAP. XIII.

NE facinoroſi homines, neuè turpis vitæ, aut infamiæ labe notati in confratrias aſcribantur. Si qui verò iam aſcripti ſunt, ſi moniti honeſtæ vitæ rationibus, ſe non confirmarint, è confratrum numero Epiſcopali auctoritate reijciantur, & aliàs non admittantur.

CAP. XIIII.

LAici confratres cuiuſcumque confratriæ de fidei dogmatibus, nè diſceptationes, colloquia, ſermoneſuè habeant. Nec etiam dùm in oratorijs congregantur aliquid tractent, quod ſit ab inſtitutæ vitæ ratione alienum: ſed de ijs rebus, quæ ad animarum ſalutem ſpectent, & laicalis ordinis hominibus conueniat.

CAP. XV.

NE quicquam, quod vulgari ſermone conſcriptum ſit, in vlla cuiuſuis generis confratria legi, recitariuè liceat, niſi primùm ab Epiſcopo, vel ab eo, cui ille mandarit recognitum ſit, & ſubſcriptione comprobatum.

CAP. XVI.

NVlli, cōfratriæ nomine vſquā eleemoſynā quæritare liceat, niſi facultate, quæ litteris exarata

ſit ab Epiſcopo impetrata quotannis renouanda. Ne Cōfratriæ cuiquam ad confratriæ Eccleſiam, oratoriumuè arma vllius generis ferre liceat; nemini autem vnquam cum confratriæ amictu indutus eſt, id liceat. Quiſquis verò in Laicorum confraternitatis numerum adſcribetur, omnia capitula à Sancta Sede Apoſtolica confirmata ſeruare teneatur. Si ſecus fecerit è confraternitate eijciatur.

CAP. XVII.

CONfratres omnes quarumcumque confraternitatum habitum congruentem habeant, ſua officia ſubeant, proceſſionibus interſint, & qui bis moniti non paruerint, de confratriæ numero deleantur, & amoueantur, & alijs confraternitatibus non adſcribantur.

CAP. XVIII.

QVæ ſodalitates, & quæ alia cuiuſuis generis pia loca inſtituta non ſunt, ad pecuniam mutuò dandam, eorum adminiſtratores, nè vlla cauſæ ſpecie, cuiquam homini, nec etiam vniuerſitati loci, aut vicinijs dent mutuò. Quod ſi ipſi adminiſtratores, vel dederint, vel quod grauius eſt ab ijs locis ſumpſerint, ab earum adminiſtratione ſtatim amoueantur, indigniquè cenſeantur, qui per ſex annos illorum, aliorumuè piorum locorum adminiſtrationem gerant. Túm etiam excommunicationis pœnam ſubeant.

DE FORO IVDICIALI Epiſcopi.

CAP. I.

EPISCOPVS in ſuo iudiciali foro diligenter curet, vt miniſtros habeat bonæ vitæ, & famæ, & ab omni auaritiæ labe alienos, quoad fieri poteſt: caueant Notarij, actorumque Magiſtri Curiæ Epiſcopalis, ne pretium actorum in tabella præſcripta, in tribunali notatum excedant. Et ne quid in cauſis ciuilibus, & criminalibus falſificent sub pœna priuationis officij, & alijs arbitrio noſtro reſeruatis, & pro ſingulis litteris dimiſſorialibus, quæ pro ſuſcipiendis pluribus ordinibus, omnibuſuè minoribus, vel etiam maioribus ordinibus conceduntur, item pro ſingulis litteris, quibus Notarius teſtatum faciat plures, vel omnes ordines alicui collatos eſſe, & teſtimonialibus ordinum collatorum decimam partem aurei nummi tantùm adſcriptam accipi liceat, iuxtá Sacri Concilij Tridentini decretum, ac ſi eæ litteræ de vno tantùm ordine ſuſcipiendo, vel ſuſcepto eſſent datæ. Ne alijs verò, quæ merè ſpirituales ſunt, nihil omnino accipiant præter ſcripturæ mercedem

dem ab ordinario ſtatuendam.

CAP. II.

VIcarius,& Iudex Eccleſiaſticus indifferenter iuſtitiam omnibus adminiſtrabit, & præcipuè pauperibus,& miſerabilibus perſonis ſe promptos, & faciles præbeant, ac omnes cauſas quanta poſſunt breuitate expediant, & litibus præciſis calumniatorum dilationibus finis imponatur, neque muneribus, aut fauore, aut odio retardentur, & præſertim in cauſis alimentorum, mercedum, piorum locorum, & huiuſmodi, quæ moram non patientur.

CAP. III.

OMnibus Notarijs, & ſcribis Epiſcopalis Curiæ communem taxam præfixam in proximo Prouinciali Concilio Tarentino, & à nobis, & à cæteris huius Prouinciæ Epiſcopis acceptatam præfinimus, & conſtituimus, quam pro officij ſui mercede in ſingulis cauſarum generibus ab vnoquoque exigi liceat.

CAP. IIII.

IN cauſis beneficialibus, etiam Iuriſpatronatus ſententiam Vicarius nec promulget, nec ſcribat, niſi prius is, qui ad beneficium poſtulat promoueri fuerit examinatus, & approbatus, & ſi ſit doli capax, præſtiterit iuſiurandum, nihil ſe dediſſe, aut promiſiſſe, vt in eo beneficio præſentaretur. Iuramenti autem formula, quæ

appenſa

appenſa in Curia ſeruabitur, hæc eſt.

Formula iuramenti.

EGO.N. præſentatus, vel electus ad beneficium &c. Iuro per Sacroſancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neq; me beneficij obtinendi cauſa, aut vt ad id præſentarer, aut nominarer &c. neque quemquam alium meo nomine, aut conſentiente, vel ſciente me, quicquam collatori, patrono, ſeu alij cuiquam ea de cauſa promiſiſſe, aut dediſſe, aut compenſaſſe, aut prius datum confirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe, neque mutuo dediſſe, vel locaſſe, vel prius mutuo datum, vel locatum, aut quocumque modò debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe, nec de dotibus, prædijs, terris, reditibus eius Eccleſiæ, vel beneficij præteritis, præſentibus, ac futuris donationem, remiſſionem, locationemuè feciſſe, promiſiſſe, aut iniuiſſe, aut alium mandante, vel conſentiente me promiſiſſe, feciſſe, aut iniuiſſe. Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

C A P. V.

NVlli liceat in cauſis beneficiorum, ad redimendam vexationem, ne in caſibus quidem à iure permiſſis pecuniam dare, aut quicquam paciſci

ciſci abſque Epiſcopi licentia, cuius erunt partes, ſi nulla fraus ſubſit huiuſmodi concedere facultatem.

CAP. VI.

QVi in publico concubinatu, aut adulterio vixerit, alijquè publici criminoſi à foro Epiſcopali ita arceantur, vt nec Notarij, nec Procuratoris, nec Aduocati officium, nec alterius cauſarum generes gerant.

CAP. VII.

SIt in foro Epiſcopali, qui pauperum, & miſerabilium perſonarum cauſas agat, & defendat, idquè gratis, ne indefenſi pereant. Magnoperè autem hortamur laicos magiſtratus, vt huiuſmodi in re eadem ratione vtantur, & Epiſcopi familiares cũ Epiſcopalis fori miniſtris auctoritatem ſuam non interponant, ne præiudicium, damnumque cuiquam inferatur.

CAP. VIII.

CAncellarius Epiſcopalis, Actorumuè Magiſter Iudicibus delegatis, aut arbitris, aut aduocatis, aut procuratoribus litigantium, originales proceſſus nunquam deferat, ſed eorum tantummodo collata fideliter exempla, niſi litigatoris, aut Rei inopia aliud Epiſcopo ſuaderet.

CAP. IX.

CAncellarias vendi, aut locari omnino prohibemus, ne maior auaritiæ, & iniquitatis repat

occaſio

occaſio iuxtà litteras proximè emiſſas, ex mente Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis VIII. ab Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Sacræ Congregationis ſuper negotijs Epiſcoporum.

CAP. X.

CAncellarius Epiſcopalis habeat librum, in quo deſcribantur omnes conſtitutiones, & Edicta ab Epiſcopo, vel eius Vicario generali facta, vel facienda, cum eorum publicatione, & annotatione dierum, & anni, & teſtium, vt tranſgreſſores condigna pœna mulctari poſſint. Liber alter ab eodem conficiatur, in quo deſcribantur nomina eorum, qui in carcerem detruſi ſunt, & dies, & menſis, & annus, quo in vincula ſunt coniecti, omnes item ſententiæ, tàm ad abſolutionem, quàm ad condemnationem pertinentes.

CAP. XI.

NVllum, neque munus, neque donum, neque cuiuſuis generis Xenia, ne eſculenta quidem, poculentauè Vicarij generales, cæteriquè noſtri officiales ab ijs accipiant, qui coram eis cauſas, vel habent, vel agunt.

CAP. XII.

DIſpenſationes, quæ à Sede Apoſtolica conceduntur perpendi, & examinari ita volu-

mus, vt nihil omittatur, quod Summus Pontifex cognoſcendum præcipit, & diſcutiendum. Ciuiles cauſæ, quæ exigui ſunt momenti, nec quinque aureorum ſummam excedunt, ſummariè, ſimplipliciter, & de plano ſine forma, & figura iudicij cognoſcantur. In cauſis criminalibus, propter abſolutiuam ſententiam nihil ſportularum nomine Vicario Epiſcopali detur, niſi quod decretum eſt, iuxta taxam in Concilio Prouinciali reformatam.

CAP. XIII.

EAm curam, atq; adeò cogitationem promotor fiſci Epiſcopalis ſuſcipiat, vt ſibi putet, promotoris munus commiſſum eſſe in inquirenda veritate criminis, de quo agitur. Ideò ne vnquam abutatur ad innocentes opprimendos, neuè item cauſam, aut occaſionem præbeat, vt calumnijs, quis vexetur, atque exagitetur.

CAP. XIIII.

IN cauſis ciuilibus, & criminalibus, ante diffinitiuam ſententiam, ſeù vim diffinitiuæ habentem nemini liceat appellare iuxta formam Sacri Concilij Tridentini, & qui contrafecerit, vltra quod petitio, & appellatio prædicta non admittetur, alijs pœnis punietur, & omnes aliæ Canonicæ appellationes, abſquè aliquo impedimento admittantur.

DE EXCOMMVNICATIONIS *Sententia*.

CAP. I.

EXCOMMVNICATIONIS gladium neruum eſſe Eccleſiaſticæ diſciplinæ Sacr. Trident. Concilium declarauit, medicinam non eradicantem, ſed diſciplinantem, ſobriè, magnaque circumſpicione eſſe exercendum,& non in leuibus cauſis, ſed grauiſſimis vtendum, cum magna maturitate, cauſaque cognita pro rei,loci, & perſonæ qualitate: ne ſi ex leuibus cauſis, aut temerè incutiatur magis contemnatur, quàm formidetur,ideò omninò ſeruetur, quod Sancta Tridentina Synodus ſanciuit.

CAP. II.

ADmoneant frequenter Curati fidelem populum, vt excommunicationem timeat, & præcipuè maiorem: hac enim innodati non ſolùm à legitimis actibus ſuſpenduntur, verùm etiam à communione fidelium, perceptione Sacramentorum, & Sanctæ Matris Eccleſiæ ſuffragijs priuantur: ideò excommunicatos nominatim in familiari conuerſatione euitent,& ab eorum

conſortio pœnitus abſtineant, nec eos ſalutent, & caueant ne excommunicationem cõtemnant, etenim gladius eſt Chriſti Domini, qui hanc poteſtatem dedit hominibus, & quod excommunicati, etſi publicè denuntiati non ſint, ſi in eis actibus ſe ingerant, qui per excommunicatos explicari non poſſunt, mortaliter peccant.

CAP. III.

EXcommunicationis ſententia in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia à Sacerdote ſuperpelliceo, ſtola, atque pluuiali indutus proferatur, iuxta ritum, & formam S. R. E. in Pontificali Romano præſcriptam, deinde ad partis inſtantiam ſi voluerit plura edantur exempla in Eccleſijs, & locis publicis affixa, vt omnibus pateat.

CAP. IIII.

QVoniam verò Eccleſiæ claues nonnulli contemnendo nõ verentur in excommunicatione perſiſtere, ipſam ſpernentes: ne contemptus huiuſmodi abeat impunitus, edicimus, ac ſtatuimus, vt qui per menſem in excommunicatione perſiſterit, ſoluat vltra pœnam grauiter ei imponendam vnum aureum nummum, ſi per duos menſes aureos nummos tres, & ſic perſeuerando in contemptu ſemper augeatur mulcta vſque ad annum pijs vſibus applicanda, & ne alij

eorum commercio inficiantur, & rubore etiam ipſi perfundantur, bis in menſe in Miſſarum ſolemnijs denuncientur. Quod ſi per annum in illis perſtiterint contra eos poſtea vti de hæreſi ſuſpectos procedatur ad ipſorum pœnam, & aliorum exemplum.

CAP. V.

NOn ſolùm excommunicationis, ſed etiam interdicti, aliarumquè cenſurarum uim, & poteſtatem animarum curator ijs ſermonibus aliquando explicet, quos ad populum habet; & verò publicè excommunicatos, interdictoſuè, qui à Sacerdote celebrante, vt ab Eccleſia exeant nominatim moniti permanere auſi fuerint; excommunicationis vinculo irretitos eſſe, neque ab alió, niſi à Sede Apoſtolica ſolùm abſolui poſſe oſtendat; vt Clementis V. ſanctione cautum eſt.

CAP. VI.

INterdicta ab Epiſcopo promulgata, non ſolùm quæ vniuerſos, ſed quæ ſingulos etiam attingunt ab ordine omni Regularium in ſuis Eccleſijs etiam promulgentur, & ſeruentur item, vt Concilium Trid. iubet.

CAP. VII.

EXcommunicationum litteræ, quæ certis monitionibus primùm adhibitis ad finem reuelationis, vt aiunt, pro deperditis, ſubtractiſuè rebus

bus ferri ſolent, ne cuiquam niſi ijs concedantur, qui ob eam cauſam ſupplicationis libellum Epiſcopo obtulerint; eorumſquè ipſorum tantùm rogatu, quorum ciuiliter intereſt. Qui ſupplicationis libellus eiuſmodi ſit, quo & res ipſa, de qua agitur, & eius precium item nominatim, ſpeciatimque exprimatur, niſi Eccleſiæ, loci pij, communitatis, Vniuerſitatis, Collegij, Vniuerſaliſuè ſucceſſoris res ſit, cuius certam notitiam illum, illamuè non habere veriſimile eſt, tunc enim ſupplicantis qualitate in libello expreſſa rei, de qua quæritur, deſcriptio quædam generatim fieri poterit, modò ne ſit incerta nimis, aut non veriſimilis, ſed eiuſmodi, quæ ſaltem oſtendat rem ipſam, vt eſt Tridentini Concilij præſcriptum, non vulgarem eſſe: id quod Epiſcopi concedentis religioſæ conſcientiæ, iudicioquè pro ratione rei, & perſonæ relinquitur.

CAP. VIII.

POrrò eiuſmodi excommunicationum litteræ, à nemine concedantur, niſi ab Epiſcopo, neque verò eius Vicario etiam Generali, ſi modò Epiſcopus non longius abſit, tributa ei ſpecialiter hac facultate. In infraſcriptis autem caſibus nemini concedantur.

Pro re criminoſa, quæuè infamiæ notam inurat non concedantur, niſi pro ciuili tantum intereſſe, & earum rerum, quæ ſummam tamen aureo-

rum

rum nummorum duodecim excedant.

Pro re non occultà omninò.

Pro re, quæ ita iamdiù amiſſa, aut ſubtracta eſt, vt illius memoriam amplius non haberi, veriſimile ſit.

CAP. IX.

NOn concedantur cuiquam excommunicato, aut manifeſtè, & notoriè criminoſo. Neque verò contra aliquem, quem pro rebus, quæ in monitorijs literis exprimantur, ob eius paupertatem ſatisfacere non poſſe conſtet, neque in loco vbi eas veriſimile ſit negligi, vel contemni. Cum verò pro ratione præſcripta aliquando concedantur, ne tamen in Sanctiſſimis his diebus, in Natiuitate ſcilicet Domini, Paſcha Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, in celebritate Sacri Corporis Domini, alijſq; Anniuerſarijs ſolemnioribus diebus, loci etiam Patronorum Noſtræ Prouinciæ vllo modo promulgentur, niſi Epiſcopus aliter cenſuerit. His verò litteris monitorijs aliquando datis ne excommunicationis ſententiam Epiſcopus ferat, niſi de earum promulgatione locis, & temporibus congruis facta relatione acceperit, & iterum de re ipſa diligentius, accuratiuſque deliberarit, ac grauem præterea cauſam cenſuerit, quamobrem illam ferat.

CAP.

CAP. X.

De Concubinarijs.

GRAVE ſcelus eſt, homines ſolutos concubinas habere: grauiſſimum verò vxorios. Nam præter ſcandala, animæq; periculum, vnum inter cætera id ſatis eſt, quod maximè caſtiſſimas mulieres exaſperare ſolet, dum ſuum thorum, & fidem ſibi datam violari vident ab eorum maritis: idcircò vt ad eam, qua decet continentiam, vitæquè integritatem miniſtri Eccleſiæ reuocentur, & laici in damnationis ſtatu viuere non audeant: ſtatuimus, vt decreta Sacroſancti Tridentini Concilij de concubinarijs, & Edicta noſtra ſuper his edita, & promulgata obſeruentur: quibus omnibus præcipimus, ac mandamus, vt ſub pœna excommunicationis, & alijs pœnis à iure ſtatutis, & in prædictis edictis contentis, infra duodecim dierum ſpatium concubinas eijciant, nullamquè in poſterum cum illis, neque etiam cum alijs conſuetudinem habeant.

DE

DE FALSIS TESTIBVS

& famoſos libellos edentibus.

CAP. I.

QVI falſum teſtimonium dixerit, iuxta Sancti Auguſtini ſententiam tribus obligatur: primùm Deo Optimo Maximo, cuius præſentiam ſpernit: deinde iudici, quem mendacio fallit, poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio grauiter offendit, quippè in eius eſt poteſtate, inſontes bona fama, vita, & facultatibus orbare. Idcircò ne tam immane ſcelus inultum, impunitumque dimittamus: cum ſcriptum ſit abominatio eſt Domino labia doloſa, & falſus teſtis non erit impunitus, & ad reprimendum horum falſorum teſtium audaciam, & multitudinem: Statuimus, vt qui falſum teſtimonium in iudicio dixerit, ſiue in cauſa ciuili, ſiue in criminali, vel vt dicatur ſcienter effecerit, præter pœnas à ſecularibus Magiſtratibus irrogandas, noſtro etiam iudicio ſubijciatur, nec à confeſſarijs abſoluatur, niſi conſulto, & conſentiente Epiſcopo. Curatiſq; omnibus præcipimus, vt ſingulis menſibus conſtitutionem hanc in die feſto inter Miſſarum ſolemnia populo denun-

cient, ac declarent.

CAP. II.

EXcommunicationis pœnam luent, qui ad inurendum famæ aliorum maculam, famoſos libellos componunt, ac publicè proponunt, vt omnibus noti fiant, præter pœnas in Conſtitutione Pij V. ſtatutas, & innouatas.

CAP. III.

EOdem etiam excommunicationis vinculo adſtringantur actorum Magiſtri, Scribæ, Notarij, Aduocati, Cauſidici, Procuratores, & cæteri quocumque nomine nuncupati: qui contrà conſcientiam, ac iuſtitiam cum alterius partis offenſione, vel cum Reipublicæ detrimento, cuius permagni intereſt, ne delicta maneant impunita: in iudicio teſtes fauore, timoreuè incuſſo, vel pecunia corruperint, aut ſeduxerint, aut teſtium dicta non integrè, nec fideliter ſcripſerint, vel ſcribi fecerint, vel ad id efficiendum opem ferre, ac conſilium, & fauorem ſcienter præſtare præſumpſerint: eadem pœna etiam, & ſecundum Sac. Canonum ſanctiones falſarios puniri volumus.

CAP. IIII.

De vſuris.

CVm Vſurarum impium, ac immane ſcelus diuino, ac humano iure damnatum, execratumque

tumque, veluti cancer in pauperum bona, ac eorum perniciem, & quod execrabilius eſt in vſurariorum animas ſerpat: idcircò ſalubriter prouidendum eſt, vt tantum facinus è populo fideli elimmetur: Caueant ergo omnes, nè vllum vſuræ genus exerceant: & Notarij itẽ diligenter animaduertant, nè tales contractus vſurarios, quos ipſi ex animo, & conſcientia ſuſpectos intelligant, vel ſuſpicantur, ſtipulari audeant, vel præſumant: quoniam vltra diuinam vltionem, quam ipſo facto incurrent, ſententiam quoque excommunicationis ſubibunt.

CAP. V.

De Simonia.

SIMONIACÆ prauitatis deteſtabile, execrandumque ſcelus á Sac. Canonibus frequenter deteſtatum, ex hominum mentibus eradicare exoptãtes, volumus contra ipſos inuiolabiliter obſeruari Conſtitutiones præcipuè Pauli II. Pij IIII. & V. & Sixti V. & nihilominus quicumque crimen ſimoniæ in conſequendis ordinibus commiſſæ per ſeipſum, vel per interpoſitas perſonas conuictus fuerit, eo ipſo ſit ab illorum exequutione per decenniũ ſuſpenſus, &

per annum carceribus mancipatus.

CAP. VI.

QVi beneficia, officia, vel dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè conſequutus fuerit, ſciat ſe illis ipſo iure priuatum, & ad fructuum reſtitutionem obligari, & ad ea, & quæcumque alia beneficia obtinenda perpetuò inhabilem eſſe.

CAP. VII.

Quæ generatim ad has Conſtitutiones pertinent.

AD extirpandum abuſum, & corruptelam, quæ hodie inter fideles viget, ſtatuimus, vt ſi quis Clericus Epiſcopo, quem reuereri, & colere debet tamquam Dominum, ac Patrem pro animabus ſibi commiſſis Deo rationem redditurum, maledixerit, vel contumelia eum affecerit, vel ei inobediens fuerit, in eum ex diſpoſitione Sac. Canonum acriter animaduertatur: ſimiliter, & laici homines, qui per vicos, & plateas de ſacerdotibus, Religioſis, Prælatis, de Eccleſiaſticis conſtitutionibus, excommunicationibus, Indulgentijs, & alijs huiuſmodi obloquuntur, habeantur poſthac vehementer ſuſpecti de fide, ac contra eos ſeuerè, ſicut expedire videbitur procedatur.

CAP. VIII.

CVm ſacræ ſanctiones veluti vitæ ſpeculum, ac morum regula ſint, quibus fidelis populus curæ noſtræ concreditus inſtrui, ac formari meritò debet: edicimus, &, mandamus, vt Synodales haſce conſtitutiones omnes, non pœnarum timore, ſed virtutis potius amore prompto, volentiquè animo diligenter, accuratèque obſeruentur.

CAP. IX.

STatuimus, & decernimus, vt per pœnas in ſupradictis cõſtitutionibus cõtentas, non intelligantur abrogatæ aliæ pœnæ à Sac. Canonibus, & Concil. Tridentino impoſitæ, immò mandamus, vt transgreſſores vtraque pœna puniantur: & vbi impoſita pœna non reperitur, Epiſcopi arbitratu relinquantur puniendi. Mulctæ verò, quæ à tranſgreſſoribus erogandæ ſunt, pijs vſibus Epiſcopi arbitrio deſtinentur.

CAP. X.

QVæ in hac ſancta Synodo decreta ſunt, ex quo primũ die conſtitutiones editæ, & promulgatæ, & in ſacriſtia Cathedralis Eccleſiæ huius propoſitæ fuerint, & per tres dies appenſæ, & affixæ extiterint ad menſem omnes obſeruare teneantur, ſtatutis pœnis ſi contrafecerint puniendi. Si quid autem intra certum tempus in hac ſac. Synodo præſtari iubemus, volumus ab eo affixionis

die numerari. Si quæ difficultas in ijs decretis orta fuerit, eius interpretationem Epiſcopo reſeruamus ſalua ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Singulæ item Cathedralis & Curatæ Eccleſiæ has conſtitutiones certo loco reconditas perpetuò aſſeruandas curent.

CAP. *XI.*

OMnes conſtitutiones noſtrorum prædeceſſorum (ſi tamen in futurum reperientur, cum ad præſens tempus nullæ ipſarum inueniantur in hac Eccleſia) & conſtitutiones, atque edicta omnia per nos, vel Vicarios noſtros emiſſa vſque ad præſentem diem in ſuo robore permaneant: Nec per has reuocata intelligantur: immò quatenus opus eſt de nouo ipſa innouamus, & confirmamus: dummodo conſtitutionibus, & decretis ſacri Conc. Tridentini, Pontificum, & noſtris conſtitutionibus in hac præſenti Synodo editis, vel promulgatis non aduerſentur.

CAP. *XII.*

SI quæ ſunt, quæ in hac Diœceſana Synodo ad morum reformationem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ deſiderantur, ad futuram Synodum remittimus.

CAP. XIII.

POſtremò, qua debemus humilitate, & obedientia Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matri, &

Magiſtræ iudicio, atque auctoritati omnia, & ſingula quæcumque, quæ in hac Diœceſana Synodo ſancita, decreta, actaque ſunt, ſemper emendanda, & corrigenda, augenda, vel minuenda, ſubijcimus.

Deo, Beatæ Mariæ, & Sancto Nicolao Myrenſium Antiſtiti huius Eccleſiæ, & Ciuitatis Patrono, Laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

REGISTRVM,

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm.

Omnia ſunt integra folia.

ROMÆ,

Apud Aloyſium Zannettum.

M D X C V I.

Errata ſic corrige

Pagina 1.cap.1.linea 15.err. Auctoritate lege Auctoritati. 3.c.3.1.canticas.l. canonicas 5.10.9.crunxus.l.crucifixus 20.1.13.vocaturam.l.vacaturam 23.2.6.Cocilij.l.Concilij 32.3.5.qutoties.l.quoties 34.1.2. contulerint.l.conſuluerint. 76.22.1.infimi.l.infirmi.77.3.1. recōta.l. recondita. 96.5.10.Clerico.l.Clero. 111.22.2. Confitentes.l.Confeſſiones. 160.14.6.ordidini.l.ordini. 168.31.1.farultate.l.facultate. 172.40.2.prohihibuerunt.l.prohibuerunt. 190.4.4.veſtitutus.l veſtitus. 193.8.3.aſduc.l.aſſiduè. 216.13.1.fidelium.l. fideliſſimè. 235.10.5. ſara.l.ſarta. 257.6.3.precipiautur.l. percipiantur.

VA 1
1528165

Sy

C

1